



39-  
ILLVSTRISSIMO. COMITI.

Ac. DOMINO.

DNO. ANTHONIO.  
GUNTHERO.

E. QVATVOR. SACRI. ROMANI.  
IMPERII. COMITIBVS,

COMITI. IN. SCHWARTZBURG. ET.  
HONSTEIN. DOMINO. ARNSTETI. SON-  
DERSHVSÆ. LEVTENBER-  
GÆ. LOHRÆ. ET. CLET-  
TENBERGÆ.

DOMINO. MEO. ET. PATRI.  
PATRIÆ. GRATIO-  
SISSIMO.

PERENNEM. FELICITATEM!

ILLVSTRISSIME COMES,

DOMINE

GRATIOSISSIME,

**Q**Vum sæpe animi pendeo, quonam cultus genere pietatem ac subiectionem erga TE meam publice declarem, tum metus fiducia & veneratione mixtus conatum hunc identidem retardat, atque eo magis ancipitem incertumque me tenet, quod nihil vel industria, vel fortuna obferre mihi potuit, quin esset infra TVAM expectationem. Equidem multa sunt, a quibus Principes Magnatesque commendari solent, siue generis splendorem, siue maximas virtutes consideremus, quibus supra communem hominum sortem euehuntur. Quæ uti in TE clarissime elucent, ita anceps dubiusque hæsi, vtrum illorum magis admirari debeam. Nunc enim animum subiit præclara stemmatis TVI antiquitas, quod alii a Witekindo Nigro, alii ab Ernesto, Nobili Romano, alii a Comitibus Gleichensibus arcessunt. Nunc Arnstadi

40.

dia, in qua illustrem sedem TVAM collocasti, in mentem venit, quam vtut vulgo a Mervvigo, Thuringorum Rege, conditam esse sine certis documentis adseratur, Regestam ē non fuisse adspernatos maximus Suecorum Rex, Gustauus Adolphus, suo exemplo docuit, quando Patrum memoria urbem arcemque Arnstadiensem præsentia sua illustrauit & plurima Regiæ grauitatis indicia reliquit: vt illud quoque præteream, quod de dissidio inter Ottonem Magnum Imperatorem eiusque filium Luidolfum ad locum Aranstedt composito narrat vetus Chronici Augiensis scriptor. Sed his omnibus missis in summarum virtutum TVARVM admiratione tandem acquieui. Etenim insignis Zelus sedulaque cura primum omnium mihi commemoranda sunt, quando cum ILLVSTRISSIMO FRATRE TVO, DOMINO MEO GRATIOSISSIMO, nihil prius habes aut antiquius, quam vt purior doctrina, non intersperso nouitatis fermento, in Ecclesiis Scholisque VESTRÆ ditionis, vnice adseratur & ad seram vsque posteritatem incorrupta transmittatur: manetque VOS præclarum elogium, quo PROAVVM VESTRVM sanctæ memoriæ, IOANNEM GUNTHERVM, publice commendauit Theologus magnæ famæ & constantiæ, Nicolaus Selneccerus, dum Exegesin trium Oecumenicorum Symbolorum Illustrissimo Nomini EIVS inscripsit. Nec quenquam fore arbitror, quin colaudet maximam prudentiam, quam in regendis subditis ostendis, ac rebus tam Ecclesiasticis quam Politicis decenter ordinandis confers. Cæteras virtutes TVAS, quanquam nec adsequi ego, nec disertissimus sat laudare potest, sufficere tamen existimo, si de tanta felicitate TIBI possim gratulari, & voto meo consequi, vt hoc decus, quod Illustrissimæ Familiæ

57  
miliae TVÆ tributum est, in TE & posteris perpetuum sit  
atque sempiternum. Equidem hæc spes mihi cum omni-  
bus est communis, qui & Nomen TVVM in oculis ferunt, &  
virtutes admirantur, optantes, vt Diuum PATREM cogno-  
minem meritis in rem publicã & literariam omni parte exæ-  
ques, & Coniugem piam rei que publicæ fortunatam Domui  
TVÆ innectas, quæ gloriam pari exemplo ad posteros trans-  
mittat. Quamobrem æternum illud præpotensque Nu-  
men supplex veneror, vt TE voti huius compotem in seram  
vsque senectutem saluum & incolumem, omnique bonorum  
genere adfluentem conseruet ac tueatur: quando non du-  
bito, quin hoc qualecunque obsequii mei pignus, quod ex  
Antiquitatis Ecclesiasticæ monumentis sumtum demisse &  
humillime adfero, perbenigne accipias, & clementia gratia-  
que TVA posthac quoque me prosequaris. Perscripsi Wit-  
tenbergæ VI. Nouemb. A. MDCCXXIII.

## ILLVSTRISSIMINOMINIS TVI

*Obsequentissimus religiosissimusque  
Cliens*

M. Wilhelmus Ernestus  
Tentzelius.



# PRÆFATIO.



Vam hoc ineunte anno ad-

versus D. Emanuelem a Schelstrate orsi sumus telam, lubet nunc pertexere, præsertim quû mihi iussu Amplissimi Ordinis Philosophorû apertus est differendi campus, & causæ ratio a me exigit, quando is non desinit de Papa Romano bene mereri, eamque ob causam nuperrime *Acta* quædam *Concilio Constantiensis* in publicam protulit lucem, & se a Pontifice Præfectum Vaticanæ Bibliothecæ constitutum esse indicavit. Non vacat nunc in nouissimum istud scriptum inquirere, quod non tam Orthodoxos Doctores, quam Ecclesiæ Gallicanæ Clerum petit: sed aliam Schelstratii conjecturam perpendere animus est, quæ in *Antiquitate Ecclesiæ Illustrata* caput sextum Dissertationis tertiæ Partis secundæ occupat, ac in præfatione ad Lectorem his proponitur verbis: *Contentio maxima inter Orientis & Occidentis peritos ad hæc vsq; tempora manserat de Baptismo Constantini, quem plerique Orientales cum Eusebio Casareensi tuentur acceptum Nicomediæ ad finem vitæ, Occidentales vero complures Romæ in Constantini baptisterio. Stant ab vtraque parte firma antiquitatis monimenta, ex quibus dicimus, & Romæ baptizatum fuisse a S. Siluestro, & iterum Nicomediæ ab ejusdem ciuitatis Episcopo & insigni Arianorum fautore Eusebio: ad stipulare videtur S. Hieronymus, cum scribit Constantinum ab Eusebio in fine vitæ baptizatum ad dogma Arianum declinasse, Arianorum enim dogma fuit rebaptizare. Dum pro sopienda controversia de Baptismo Constantini hanc mentem nostram proponeremus Parisiis, viri quidam docti vt rem nouam exceperunt, sed tantum abest, me nouitatem sapuisse, vt perscrutanti antiquorum opiniones hanc a sexcentis fere annis traditam reperierim a Mariano Scoto aliisque post ipsum.* Explosum quidem hoc figmentum in Sorbona Parisi-

Λ

licæ.

sic  
 ui-  
 &  
 o-  
 æ-  
 ui  
 is-  
 u-  
 m  
 um  
 u-  
 ex  
 &  
 ia-  
 it-  
  
 I  
  
 m  
 u  
 H  
 s  
 o  
 o  
 o  
 US



siensi est a Natali Alexandro Select. Histor. Eccles. Sæc. IV. Dissert. XXII. quoniam vero is omnia Schelstratii argumenta haud examinauit, nos terque in vindiciis Concilii Antiocheni Dissert. II. cap. I. n. 7. infirmam coniecturam suam repetere non dubitauit, operæ putauit pretium, ut Schelstratii vestigia in hoc negotio presso pede sequutus ostenderem, quam irritus sit illius post Baronium Biniumque conatus, Constantium Magnum Romæ a Syluestro Pontifice baptizatum defendendi: deinde examinarem modeste ac breuiter viri docti rationes pro rebaptizatione Constantini. Quo pacto veterum scriptorum saluabitur auctoritas, qui semel tantum Imperatorem baptizatum esse testantur, & Baptismus in fine vitæ Nicomediæ Constantino collatus tot. hæctenus telis a Baronii ad seclis petitus fartus tectusque manebit.

## PARS PRIOR.

### I.

**C**ontrouersia de Baptismo Constantini delineaturus Schelstratius, improbat primum ac reiicit epistolam de primitiua Ecclesia ac munificentia Constantini Magni, Melchiadi Romano Episcopo falso tributam, ac obseruat Labbeum Biniumque sibi consentire, & optat Binium in cæteris Decretalibus abiudicandis eandem viam ingressum fuisse. Quæ omnia vti reprehensione nulla indigent, ita ostendunt, aduersarios victos veritatis vi tandem reprobasse merces illas fallaces & fucosas, quas Isidorus Mercator primis Romanæ Ecclesiæ Episcopis maxima fraude supposuerat, atque agnoscere omnes Turriani conatus, quibus Centuriatores Magdeburgenses impugnavit, frustraneos plane absurdosque fuisse.

II. Posthac Schelstratius non solum quæstionis statum proponit, sed primum quoque argumentum ad probandum Baptismum Constantini Romanum in acie collocat: *Questio est, inquit, cum hæc epistola supposita sit, num auctor recte insinuarit Constantinum Romæ a S. Siluestro baptizatum? est antiquissimum inter Occidentales & Orientales Ecclesias disfidium, quod Theophanes apud Anastasium Bibliothecarium in Chronologia tripartita suo tempore exagitatam fuisse verbis lucidissimis describit, & pro Baptismo Romæ suscepto: Octauo decimo sane imperii sui anno (vt quidam dicunt) Constantinus cum Crispo filio suo Romæ*

*a Sil-*

42.

a Siluestro baptizatus est, quotquot enim in Seniori Rom. 1 consistunt, vsque hodie Baptistrium habent in testimonium, quoniam a Siluestro Romæ baptizatus est post tyrannorum peremptionem. Illud pro Baptismo Constantini Romæ suscepto vrgendum duxit præterito seculo Reginaldus Polus, Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, & Concilii Tridentini Præses in ea quæstione, quam de Baptismo Constantini conscripsit, & nuperrime tomo 14. Conciliorum edidit Philippus Labbeus, ubi additur, vel hoc vnicum sufficere, quod etiam si rationes deficerent, lapides clament & testimoniū reddant. Et hæc quidem de Baptistrio nunc vsque exstante, & iuxta ædes Lateranas omnium fidelium oculis exposito. Enimvero, quamuis eiusdem Baptistrii Nicephorus quoque Callistus Lib. VII. c. 35. mentionem faciat: nec inficias iuerim, Baptistrium aliquod Romæ iuxta ædes Lateranas hodie num exstare: vix tamen vllus, qui rem omnem accuratius perpenderit, sibi persuadebit, id a Constantino M. eo repositum esse: quinimo etiam si illud ab ipso Constantino collocatum esset, nullo tamen modo consequitur, Romæ illum esse baptizatum: uti aduertunt D. Casp. Finckius in Disp. de Baptismo, quæ decima tertia est To. V. Disp. Giff. p. 313. D. Andr. Kunadus Constant. Euang. Diss. I. p. 13. quemadmodum nec Hadrianum Imperatorem Christianismo nomen dedisse colligitur ex templis Iesu Christo ab eo exstructis: quod quidem Hadriani factum prolixè contra Casaubonum defendere nuper conatus est Petrus Daniel Huetius Demonst. Euang. Demonst. III. §. 23. Nec aliter Pontificiæ religioni addictis videtur, quod Petri Halloixii confirmat testimonium, in Epistola ad Ioannem Morinum, quæ XXXIII. est in Antiq. Ecclesiæ Orient. nuper Londini publicatis, ubi Baptismum Romæ Constantino collatum pariter negat: *De Baptismo Constantini Magni, quem nemo unquam mihi persuadere potuit alias fuisse quam in extrema eius vita, letor ita esse a te pertractatum, ut in mea confirmatus sim sententia. Nam eius nomine Baptistrium in vrbe Roma non alia de causa sic est appellatum, quam quia ipse, ut alia multa, liberali ære condidit. Eadem est Alexandri sententia p. 377. Baptistrium Constantini, ex quo argumentum sumit Nicephorus, non probat quod Romæ baptismo initiatus fuerit. Quidni enim Constantini baptisterium dicatur, quia ipsius magnificentia in aliorum usum exstructum est?*

III. Videamus nunc ordine scriptorum testimonia a Schelstratio pro Baptismo Siluestri adducta. Confirmatur verò, inquit, ex



Baronio a Biniō auctoritate actorum Syluestri, Liberii, Concilii Romani t. & Niceni a Dalmatiano Cyziceno Episcopo collecti, vt videre est apud Baronium tom. 3. Annalium & apud Biniū in notis ad Eusebium. Superfedere quidem possem testimoniis hisce prolixè expendendis, quum id iam pridem præstiterint Abrahamus Scultetus in confutat. Disputationis Cæsaris Baronii de Baptismo Constantini an. 1607. Neostadii edita, D. Io. Georg. Dorscheus in Septenario singularium Angelicorum pag. 522. seq. & in Dissert. de tunica Christi inconsutili §. 58. seq. D. Io. Christfried Sagittarius Dissert. de Constantino Magno §. 30. seq. alique, vt aduersarii nihil habeant, quod reponant, ipseque Alexander eandem respondendi rationem cum Nostratibus ingressus sit. Mirum proinde videri possit, Schelstratium ad hæc talia prouocasse, quæ dudum reiecta erant & explosa. Quoniam vero id ei placuit, mihi etiam vestigiis eius insistenti incumbit, accuratius ea examinare, fucumque commissum in aprieum producere.

IV. Primum testimonium Baronius, Binius, Schelstratius petunt ex Actis Syluestri, magnam procul dubio apud omnes fidem habituris, si vera essent ac germana. At enim uero tantum hoc a veritate abest, vt ab ipso Baronio Biniōque Schelstratii præcursoribus maximam partem conficta interpolataque censeantur. Ita enim Baronius An. CCCXI. n. LIX. *Vides igitur ex iis, Acta Syluestri non in omnibus sibi constare, sed aliqua eis superaddita, quibus cætera licet vera sint, FIDES VACILLET.* Quibus gemella inuenies An. CCCXV. n. X. & XIV. ac An. CCCXXIV. n. XXXIII. Mouit Baronii inconstantia Isaacum Casaubonum, vt in Prolegomenis Exercitationum in hæc eruperit verba: *Acta Syluestri maiori studio an damnet, an excuset, non possum dicere. Sed excusando nihil agit: semper enim ὁ πρῶτος ἔλατρεται.* At Binius, pedissequus Baronii sedulusque compilator, To. I. Concil. fol. 237. ingenne confitetur, *acta Syluestri, prout hodie existant, pluribus mendaciis, quæ aliunde irrepsérunt, scatere.* Vincit hos diligentia Alexandri, qui *voθείων* eorum prolixè ostendendo probat, *ex Actis S. Syluestri nullum erui posse alicuius ponderis argumentum.* Illud vero plane fabulosum est, quod Critici Gregoriani, qui Gratiano corrigendo operam nauarunt, in Notis ad Gelasii edictum, cumque iis Schelstratius Antiq. Illust. P. II. Diss. III. c. VI. num. 388. contendunt, *ab Eusebio gesta Syluestri Græce conscripta fuisse, quæ Gelasius postea probabit.*

*vit.* Nullius enim fidei est interpret Actorum a Correctoribus Gra-  
 tiani productus, quippe qui sæculo demum nono & ex Schelstratii sen-  
 tentia post Isidorum Mercatorem an. 805. mortuum vixit, consensu-  
 que antiquiorum plane destituitur: quod pluribus ostendunt Ioan.  
 Dallæus Libro I. de Vsu Patrum Cap. I. pag. 24. & D. Baltasar Bebe-  
 lius Antiq. Eccles. Sæc. IV. Parte I. pag. 214. Eo faciunt quæ in Ca-  
 roli Magni Libro II. de Imaginibus capite XIII. leguntur: *Libro actu-  
 um beati Syluestri, vbi de imaginibus Constantino Imperatori delatis scribi-  
 tur, ideo obniti potest, quia quanquam a pluribus Catholicis legatur, non ta-  
 men ad ea quæ in quæstionem veniunt adfirmanda plene idoneus perhibe-  
 tur: quod in libro beati Gelasii Romanæ vrbs antestitis, qui inscribitur  
 decretalis de recipiendis siue de non recipiendis codicibus, apertius demon-  
 stratur.* Non quidem me latet, quanto molimine e Pontificiis libros  
 istos impugnent Sanderi, Vazquezii, Bellarmini, Baronii, Possuini,  
 Raynaudi, alii: sed egregie prolixèque eos vindicant D. Io. Georg.  
 Dorscheus Collat. Francofurt. Sect. II. cap. VI. D. Henr. Höpfnerus  
 Saxon. Euang. p. 385. Christ. Nifanius in libro, quo Carolum M. Eu-  
 angelicæ Veritatis Confessorem ostendit pag. 88. seq. eiusque defen-  
 sione pag. 83. seq. & inprimis Io. Dallæus lib. III. de Imag. cap. III.  
 cuius vindiciæ adeo non displicuerunt nouissimis librorum Caroli-  
 norum editoribus, vt præfationi ad Lectorem integras ferme inserue-  
 rint. Quid? quod ex Pontificiis cordatiores nobiscum sentiunt, vt Ia-  
 cobus Sirmondus To. 2. Conciliorum Galliæ p. 191. Alexander Sæc. II. X.  
 Diff. VI. §. 6. alii, De Gelasii decreto vtut variæ sint eruditorum dubi-  
 tationes a Schelstratio P. II. Diff. III. c. I. n. 240. & Alexandro Synops.  
 Sæc. V. Cap. V. Art. 18. enumeratæ, de Actis tamen Syluestri idem  
 Doctor Sorbonicus loco citato aliam suppeditat responsionem: *Id  
 enim solum probat nil in eis fidei contrarium reperiri, quo ex eorum lectio-  
 ne metuendum sit Fidelibus: & aliunde non immerito dubitari potest, num  
 Acta illa Siluestri quæ habemus, eadem sint cum illis, quæ sunt a Gelasio pro-  
 bata.* Hinc constat, bene iudicasse Ottonem Frisingensem, sæculi  
 XII. scriptorem, quem a veritatis studio plurimum commendat Æneas  
 Syluius, obseruante Phil. Labbeo To. II. Dissert. de Script. Eccles. pag.  
 149. 150. quando Lib. IV. Chronici Cap. I. scribit: *Quæ in beati Silue-  
 stri vita de lepra & conuersione (Constantini Magni) leguntur, apocry-  
 pha videntur.*

V. Haud maioris fidei sunt acta Liberii, e quibus fabulas suas porro cum Baronio Binioque confirmare conatur Schellstratius. Baronius an. CCCXXIV. n. 42. hunc in modum commentatur: *Non contemnenda prorsus ducimus, licet multis obsita mendis, quæ veneranda præstant antiquitate, Acta Liberii, a maioribus non omnino neglecta, quæ a Cresconio in sua collectione, vetusta admodum, sunt in texta. In iis expressum habetur Cap. I. in fine & cap. 6. ex libro quodam, qui ibi citatur, Sylvestri, Constantinum a lepræ morbo in baptismo crucis signo liberatum, indignatum vero esse Constantium eius filium longe post mortem Patris, quod Liberius sparsisset in vulgus, Constantinum a Sylvestro lepra mundatum olim sacro baptisate: ob eamque causam grauiam in eum comminatum fuisse. Superuacaneum puto quidquam reponere præter responsionem Alexandri, Acta ista Liberii ex eadem officina prodisse atque Acta Siluestri: eorum suppositionem arguere altissimum Veterum silentium, qui in Liberii gestis & colloquiis cum Imperatore Constantio colligendis diligentissimi fuerunt, ut constat ex præclaro illo Dialogo quem Theodoretus refert lib. I. Histor. Eccles. cap. XV. Illa Acta multis obsita mendis agnoscere a Baronio, adeoque perperam ut monumentum certæ & inconcussæ auctoritatis laudari. Non esse denique verisimile, quod Liberii tempore, quo recens adhuc erat baptismi Constantini memoria, nec euanescere potuerat ex hominum animis tam celebre, de curata eius lepra miraculum, si verum fuisset, Constantium Liberio fuisse indignatum, quod illud sparsisset in vulgus: aut facti illius famam a Liberio primum fuisse vulgatam, quæ (si verum illud fuit, & in Urbis Orbisque totius luce patratum) omnium aures & animos inuaserat. Quod vero Cresconium siue Crisconium Africanum Episcopum, ad quem prouocat Baronius, attinet, is recentior multo est, quam ut de rebus scriptisque sæculi quarti, scriptorum illius consensu destitutus, idoneum testimonium reddere possit: vixit enim sæculo septimo labente & initio octauo, uti calculos ponit Schellstratius noster Antiq. Illust. P. II. Dissert. II. c. X. n. 211. & Eccles. Afric. Dissert. IV. cap. VII. n. 3. adeoque quadringentis ferme post Constantini tempora annis, & ipsius fides in multis vacillat, sicut aliorum eiusmodi Collectorum, quibus solenne est, genuina, suspecta, supposititia, nullo delectu habito, in vnam conicere farraginem. De vobis vero Actorum Liberii pluribus videndi Iacobus Cappellus Viind. Casaubon. L. III. c. 29. & Hebelius Sæc. IV. P. I. p. 285.*

99.

VI. Tertium Baronii, Binii, Schelstratii, testimonium ex supposititiis Concilii Romani I. sub Syluestro Actis depromptum est. Quanquam enim nolim accedere Andr. Riueto, qui Cathol. Orthod. tr. II, q. 24. §. 3. censer, *Concilium istud nihil esse aliud, quam Colonien- sium nouam inuentionem, qui antiqua Concilia confinxerunt, nouo stylo no- vos errores commendantia*: quum id iam Hadriani Pontificis tempore videatur confictum, & ab eo citatum *inter capitula ex Græcis & Lati- nis Canonibus & Synodis Romanis desumpta, quæ Ingilramno Mediomatri- cæ vrbi Episcopo dedit*, uti obseruat Schelstratius cap. VIII. num. 341. proindeque Christianus Lupus nostro itidem allegante num. 343. *con- fictorem* huius Synodi *seculo octauo vixisse* coniicit. Fucum tamen commissum prolixè ostenderunt e Nostratibus B. Dorscheus Exercit. ad Diatyposin Concil. Nicæni p. 52. 53. B. Gerhardus Confess. Cathol. Lib. I. P. I. c. X. p. 416. 417. D. Bebelius Antiq. Eccl. Sæc. IV. P. I, p. 69. Io. Ludou. Ruclius To. I. Concil. Illustrat. pag. 1273. seq. è Reforma- tis Rob. Cocus in Censura pag. 444. Iacobus Cappellus Vindic. Ca- faub. Lib. III. c. XXXI. p. 366. Daniel Chamier Panstr. Cathol. To. II. Lib. XIII. c. XIX. num. XI. Quare tandem ex ipsis Pontificiorum castris sapientiores fidem isti Synodo adhibere detrectant, ut videre est apud Coriolanum Summæ Conciliorum pag. 221. Henr. Spondanum Baronii epitomatorem an. 352. n. 51. Petrum de Marca Lib. I. de Con- cordia Sacerdotii & Imperii Cap. XI. num. 4. & alios. Nec opus est plura congerere testimonia, aut multum curare Iosephum Mariam Suaresium, Episcopum Vasionensem, qui Lib. II. Prænestes Antiquæ cap. X. in vindicando hoc Concilio aduersus Molinæum oleum ope- ramque perdidit, quum ipse Schelstratius toto capite octauo Diff. III. P. II. *vobiscum* eius diserte euincat: nam fucum saltem Lectoribus facit, quando *secundam sub Syluestro Romanam Synodum* dicit, quam in nostra controuersia primam vocauerat, ut clare adparet ex verbis Io- an. Cabassutii, Notit. Eccles. pag. 123. *Post Romanum Concilium a Mel- chiade Pontifice in Laterano celebratum, duo alia memorantur Romana sub Syluestro, quorum vnum dicitur secundum, & perhibetur Nicænam Sy- nodum præcessisse; alterum recensetur numero tertium & perhibetur Ni- cæna Synodo posterius. Primum quidem illud sub Melchiade extra o- mnem dubii aleam constituitur, eiusque mentio legitur apud Eusebium. O- ptatum, Augustinum, duo vero in sequentia sub Syluestro multas præ se ferunt*

*ina-*

*inanitatis & suppositionis adulterinae notas, nec altiore quam Isidori Mercatoris auctoritate nituntur, qui circa Christi annum 619. suas propalabat merces. Ab hoc enim caeteri desumpserunt, quotquot huiusmodi mercimonia exposuerunt &c. Paulo post rationes vobiscum profert, desumptas a silentio Dionysii Exigui, celebris Canonum in ipsa vrbe collectoris: ab auctoritate Hincmari Remensis, Canonem tertium falsitatis arguentis: a consensu Labbei, Marcae, Lupi nostrique Schelstratii, confictum esse istud Concilium adseuerantium: a mentione Diaconorum & Sacerdotum Cardinalium, illi saeculo & succedentibus longe saeculis plane inaudita: denique ab hac ipsa Fabula de lepra & Baptismo Constantini Romano. Certe eodem quarto saeculo aliter longe de Baptismo Constantini iudicarunt Patres Ariminensis Concilii, quod tantum ex Occidentis Episcopis constabat, & Imperatorem in fine vitae baptizatum adseruerunt. Vnde liquet, ista aetate fabulam a Latinis nondum fuisse confictam, sed Occidentales pariter & Orientales de Baptismo Constantini conformiter sensisse, quod magnum sententiae Baronianae adfert praedudicium.*

VII. *Acta porro Niceni Concilii a Dalmatiano Cyziceno Episcopo collecta proferunt Binius & Schelstratius ex fide Baronii an. CCCXXIV. n. 49. dicentis, eum recitare Orationem Constantini tunc coram Patribus habitam, qua saepius profiteretur, se plane Christianum esse sacroque Baptismo initiatum. Vnde autem hausit Baronius hoc Dalmatiani testimonium, cuius librum 2. Act. Nicæ. Concil. in margine solum citauit. Si ex Codice Bibliothecae Vaticanæ, cur non more suo id indicauit? Si ex alio scriptore vetere, plagiarium notam merebitur, non minus ac Cælius Rhodiginus, qui etiam solebat deperditos auctores citare, suppressis eorum, ex quibus ipse hauserat, nominibus. Vid. Thomasius Diss. de Plagio liter. §. 261. Si ex Gelasio Cyziceno, cur alibi is scriptor tam exiguae apud ipsum est auctoritatis? Sed vndecunque Baronius Dalmatiani desumerit testimonium, certum est ex confessione Cabassutii pag. 122. nostrique Schelstratii pag. 490. Gelasio Cyziceno Dalmatiani acta ad manus non fuisse, quum opus suum exararet. Addimus Alexandri iudicium, aliter licet de Gelasio sentientis: Ad Dalmatianum Cyzicenum respondeo, ipsum à Gelasio Cyziceno redargui, qui Acta Niceni Concilii exscripsit ex ipso Dalmatiani Codice. Nam in sermone prophanetico Constantini, quem ille describit, ne verbum quidem est de eius baptismo. Et aliunde Eusebium in omnibus sequitur Gelasius Cyzicenus.*

VII.

VIII. Nunc ad illos progrediemur testes, quos sigillatim laudandos sibi sumsit Schelstratius, primumque Prudentium ita producit: *Et adstipulantur Prudentius apud Thomam Bozium lib. 2. de signis Ecclesiae, cap. XI. qui ita introducit loquentem de Constantino super Maxentio triumphante Theodosium: Iamque ruit paucis Tarpeia in rupe relictis ad sincera virum penetralia Nazareorum, atque ad Apostolicos Euandria curia fontes.* Locus Prudentii libro I. aduersus Symmachum versu 550. seq. ex cuius inspectione candidus quilibet Lector edocebitur, Poëtam neutiquam de Constantini sed Senatus Romani conuersione & Baptismo agere. Non vrgebo nunc quatuor versus præcedentes, vbi canit:

*Exultare Patres videas, pulcherrima mundi  
Lumina; conciliumque senum gestire Catonum  
Candidiore toga, niueum pietatis amictum  
Sumere & exuuias deponere Pontificales:*

multo minus inscriptionem huius pericopes, quæ in Aldina editione est: *Romanorum Senatum conuersum ad Christum*, in Weiziana vero: *de Senatus conuersione*: quandoquidem ex ipsis a se transcriptis verbis fraudem subolfacere potuisset vir doctus. Quid enim? nonne *Euandria curia* neutiquam vnã personam, sed totam σύγκλητον βουλὴν (vti Senatus Romanus audit Eusebio Histor. Eccl. IX. 9. quando hanc ipsam Constantini aduersus Maxentium victoriam describit) denotat? *Euander* enim *primus fertur struxisse curiam*, quod habet Glossa Isonis Magistri ad hunc Prudentii locum. Hinc idem Virgilio libro IIX. *Æneidos Romanæ conditor arcis* dicitur. Sequentes quoque versus Schelstratio palam aduersantur. Declarat enim mox Prudentius, quinam *Euandriam curiam* constituerint, *Anniadum soboles & pinguera clara Proborum &c.* Sed quid hæc ad Constantinum? An iscrat Anniadum soboles, vel ex familia Aniciorum, cuius genealogiam exhibet & illustrat Thomas Reinesius Epist. LXIX. ad Rupertum? Dixerit forte aliquis, Constantinum eo tempore secundum Romæ consulem fuisse, adeoque omnino pertinuisse ad Euandriam curiam. Verum hæc exceptio cum calculis Schelstratianis consistere nequit. Nam in Serie Chronologica Romanorum Pontificum, quam Antiquitati Illustratæ præfixit noster, ad An. 312. ponitur Constantini Augusti Consulatus secundus, vt respondeat anno imperii eius sexto & septimo,

B mo,

er-  
bat  
ci-  
tas  
uu-  
: a  
ud  
ar-  
que  
eo-  
unt  
pis  
nde  
Oc-  
ter  
  
Copo  
IV.  
ibus  
oti-  
sti-  
nit.  
nit?  
s ac  
up-  
Diff.  
tam  
Dal-  
ssu-  
ma-  
mus  
ria-  
Ni-  
none  
est de  
enus.  
VIII.

mo, additurque ex Fastis Idatii & in Variis Observationibus, hocce anno die 24. Septembris Constantinum Maxentium deuicisse. Primum vero Syluestri Pontificis annum cum Onuphrio, Antonio Augustino, Baronio, Bellarmino, Petauio & Labbeo refert Schelstratius ad An. 314. siue octauum Imperii Constantini. Quod si itaque statim post victum Maxentium baptizatus est Imperator, vt verba Prudentii sensu Schelstratii intellecta euincunt, consequitur ex ipsa viri docti computatione, Constantinum sacro baptismatis fonte tinctum esse, antequam Syluester ad Episcopatum Romanum peruenerit. Has forte difficultates sentiens Schelstratius causæque dissoluit non ex propria obseruatione, sed Thomæ Bozii hominis inepti & in Critica Ecclesiastica haud versati fide ad istud Prudentii testimonium prouocare ausus est.

IX. Haud meliori successu Sulpitii Seueri auctoritate se tuetur noster, quando scribit: *Sulpitius Seuerus circa annum 400. lib. 2. Histor. cap. 47. finis Diocletianæ persecutionis fuit abhinc annis IX. & LXXX. a quo tempore Christiani Imperatores esse cœperunt, cap. 48. Namque tum Constantinus rerum potiebatur, qui primus omnium Romanorum Principum Christianus fuit. Christianum (subiicit Schelstratius) eum vocat sæpius ante narrationem de obitu Sulpitius, cum vero nemo Christianus nisi per Baptismum, etiam diu ante obitum baptizatum insinuat.* At enim uero præterquam quod Sulpitius Seuerus apud Pontificios alias in historia sacra non sit magnæ fidei, vt ex Bellarmino & Posseuino monet B. Dorscheus Theol. Zachar. P. I. p. 187. multaque errorum eius in re historica exempla enumerari Alexander Sæc. I. Dissert. XV. tantum sane abest, ut Sulpitius Schelstratium iuuet, vt ei potius quam maxime eodem modo quo Prudentius contrarietur. Namque notationem temporis, quam Sulpitius in verbis a nostro prolatis commemorat, hoc modo ad annos Christi adplicat Carolus Sigonius in Adnotationibus: *Hic est annus CCGXII. quo Constantinus M. ex Gallis Romam profectus, tyranno extincto Maxentio Christianum se aperte professus est.* Non abit ab hac sententia Schelstratius, quando circa annum 400. Sulpitium hæc scripsisse ait. Ast eo anno, vt paulo ante vidimus, Syluester iuxta eiusdem calculos nondum erat Romæ Episcopus, nec proinde Constantinum baptizare potuit. Nec deerunt, qui cum Io. Drusio in Animaduersionibus ad Sulpitium negent, Constantinum primum omnium Romanorum Principum Christianum fuisse, & ante ipsum Philip-

pum

46.

pum Arabem fidem nostram amplexum adserant, quorum sententiam nuper magno adparatu defendere adgressus est Io. Rodolf. Wetstenius Præfat. in quædam Origenis Opuscula p. 8. seq. *Sed priuata fuerit professio, rem Christianam publice non auxit*, iudicio Io. Schilteri in nouissimo opere de Libertate Eccles. German. Lib. I. cap. V. num. I. Quo factum est, vt Paullus Orosius Lib. VII. cap. 28. cum limitatione de Constantino loquatur: *Constantinus Imperator est creatus primus Imperatorum Christianus, excepto Philippo &c.* Eadem est sententia scriptoris anonymi, e quo nonnulla de Constantino & aliis Imperatoribus excerpit ac cum Ammiano Marcellino edidit Henricus Valesius, in Notis animaduertens, *hæc & sequentia ex Orosio exscripta esse.* Vt- cunque tamen hæc res sese habeat, falsum quoque est, a Sulpitio sæpius ante narrationem de obitu Christianum vocari Constantinum, quod ait Schelstratius. Mortem enim Imperatoris narrat initio capitis LI. ex editione Horniana. Non autem nisi semel in præcedentibus, excepto loco ab ipso viro docto producto, eum vocat Christianum, capite XLIX. *His per Helenam gestis, principe Christiano libertatem atque exemplum fidei mundus acceperat: sed longe atrocius periculum cunctis Ecclesiis illa pace generatum. Namque tum hæresis Arii prorupit, totumq; orbem, inuecto errore turbauerat &c.* Agit de initio hæreseos Arianae Sulpitius, ac de persecutionibus, quæ ante Synodum Nicænam cap. 50. descriptam motæ sunt in Orthodoxos. Videbimus an exinde caussa Schelstratii iuuari possit. Vt enim adhuc sub iudice lis sit, quo præcise anno primum innotuerit Arii hæresis, nullus tamen negauerit, ante decimum octauum imperii Constantini annum eam emersisse cognitamque fuisse, siue id contigerit an. 315. vti cum Baronio statuit Ricciolius; siue an. 317. quæ Alexandri Synops. Sæc. IV. c. III. Art. III. § 2. & plurimorum eruditorum est sententia. Vide, quæ prolixè eam in rem disputat Mart. Hankius de Script. Byzant. P. I. c. I. n. 61. seq. iam octauo decimo imperii anno baptizatum esse Constantinum cum Crispo filio suo a Syluestro, vidimus supra ex Theophane adferentem Schelstratium. Vnde consequitur, si Sulpitius Christianum vocando Constantinum diu ante obitum baptizatum insinuat, quæ viri docti est opinio, ab alio quam Syluestro alioque tempore id peractum esse: quod quantum adferat nouitatis, facile colligitur. Videat etiam Schelstratius, quomodo ipsi conueniat cum Henrico Valesio, cuius



84  
bus Adnotat. in Lib. IV. Eusebii de vita Constantini cap. 61. hæc sunt  
verba: *Scio Athanasium in vita Sancti Antonii, ubi de literis a Constanti-  
no ad Antonium scriptis loquitur, & Augustinum in Epistola 162. & 166.  
Constantinum Christiani principis titulo affecisse. Sed responderi potest,  
eos hac in re vulgarem omnium opinionem ac famam sequutos esse: & Con-  
stantinum palam Christianum Principem adpellasse, non quod Christianæ fi-  
dei Sacramentis initiatus esset, sed quia Christianæ religionis cultum aper-  
te profitebatur.* Ex quibus constat, quo sensu Christianum vocarit  
Sulpitius Constantinum, non, ut Schelstratius vult, quod diu ante o-  
bitum baptizatus fuerit, sed ob professionem Christianismi post vi-  
ctum Maxentium reliquo vitæ tempore susceptam.

X. Audiamus nunc tertium testem a Schelstratio adductum,  
qui est *Antiquus Romanorum Pontificum Catalogus tempore Iustiniani Im-  
peratoris circa annum 530. conscriptus in vita Silvestri: Hic in exilio fuit  
in montem Sorractem persequutione Constantini concussus: & postmodum  
rediens cum gloria baptizavit Constantinum Augustum, quem curavit Do-  
minus pro Baptismo a lepra.* Vnde autem nobis probabit vir doctus,  
Catalogum istum tempore Iustiniani esse confectum? neutiquam e-  
nim sufficiunt, quæ de eo coniicit in Dissertatione Seriei Chronolog.  
Pontif. præmissa cap. II. col. 19. *complectitur acta Pontificum ab Aposto-  
lorum Principe Petro vsque ad Felicem tertium tempore Iustiniani Impe-  
ratoris, quo consequenter confectus existimatur.* Vacillat plane conse-  
quentia, nec vlla nititur ratione, quum vel Codicis mutatio, vel libra-  
rii negligentia, vel collectoris Catalogi mors impediisse potuerint, ut is  
ultra Felicem tertium productus non reperiatur. Certe qui res in eo con-  
tentas accuratius ad veritatis lancem trutinauerit, ac cum ratione tem-  
poris, quo scriptus perhibetur, diligentius contulerit, multa quæ fig-  
menta olent posteriorum ætatum, procul dubio deprehendet. Nos  
vnico erimus contenti exemplo. In vita Cornelii Papæ narratur,  
*eum temporibus suis rogatum a quadam matrona, corpora Apostolorum Pe-  
tri & Paulli de Catacumbis leuasse noctu. Primum quidem corpus B. Paul-  
li acceptum B. Lucianam posuisse in prædio suo via Ostiensi iuxta locum ubi  
decollatus est. B. Petri Apostoli accepisse corpus B. Cornelium Episcopum,  
& posuisse iuxta locum, ubi crucifixus est inter corpora Sanctorum, in tem-  
plo Apollinis, in monte aureo in Vaticano Palatio Neronis, III. Kal. Iulii.*  
Sic instruit suam fabulam anonymus, quæ neutiquam Iustiniani debe-  
tur

tur æuo, sed recentiori: vti euincit Gregorii Magni, qui sexto etiam  
 vixit sæculo, Epistola ad Constantiam Augustam, qua narrat, eo iam  
 tempore quo passi sunt Apostoli, corpora eorum ad Catacumbas  
 translata ac inde propriis locis restituta fuisse. Alia ergo de sepul-  
 cris Apostolicis sæculo sexto circumferebatur narratio, quam in Ca-  
 talogo Schelstratii exhibetur: quanquam & illam veritati non esse  
 consentaneam docere conetur Dallæus de Cultus Relig. Obiecto Lib.  
 IV. cap. XII. Vt cunque vero ea se habeat, certe Baronius A. CCXXI.  
 num. 3. seq. fabulam de Cornelio in Catalogo expositam procul ab-  
 iecit, nec dubitat Alexander Synopsi Sæc. III. c. IV. Art. 3. mendacii no-  
 mine eam insignire & epistolam Cornelii decretalem post Baroni-  
 um *vobelas* arguere, in quo consentit Schelstratius Antiq. Illust. P. II.  
 Diff. III. c. 5. num. 319. Quoniam itaque recentioris ætatis est Cata-  
 logus a viro docto productus fabulasque plurimas recenset, quæ eius  
 erit auctoritas ad Baptismum Constantini Romanum adstruendum?  
 in primis, quum ex supposititiis Syluestri actis omnis narratio desumpta  
 sit, ipseque Schelstratius Catalogum ab omni interpolatione liberum  
 non adseruerit, ac eius auctorem supposititiis nonnunquam monu-  
 mentis inniti probauerit Concil. Antioch. p. 494.

XI. Quartum locum adsignat *S. Gregorio Turonensi Episcopo ad  
 finem sæculi sexti, qui dum agit de Baptismo Clodouei Francorum Regis:  
 Procedit (inquit) nouus Constantinus ad lauacrum deleturus lepræ veteris  
 morbum, sordentesque maculas gestorum antiquorum recenti latice dele-  
 turus. Hic alludit manifeste S. Gregorius ad acta Siluestri testantia de  
 Constantini lepra & mundatione per Baptismum a Siluestro susceptum.*  
 Sed Alexandrum velim audiat Schelstratius, respondentem, *Gregori-  
 um Turonensem vel ex actis Siluestri iam confictis deceptum: vel de pecca-  
 torum lepra intelligi: cæterum de baptismatis Constantini loco & tempore  
 non loqui.* Qualiscunque autem fuerit Gregorii sententia, exigua  
 certe eius in historia fides est, & in vulgus notum, quid de illo ex Pon-  
 tificiorum grege sentiant cordatiores: vt vere Æthiopem lauare co-  
 natus sit Labbeus, quando To. I. Dissert. de Script. Eccl. pag. 399. in  
 Lutheranos & Calvinianos, in primis Riuetum, *vt virum omnium vere  
 Francorum execratione dignissimum, inuehitur, quod nonnulla in se-  
 quentibus temporibus a maleferiatis monachis hinc inde fuisse adspersa di-  
 xerit, & Gregorii simplicitatem ex Baronio & Hilduino notarit.* Prius

quippe, quod in Riueto reprehendit Labbeus, ex ipsis Francis adferunt Auctores Ephemeridum Gallicarum, quando de Annalibus Francorum Ecclesiasticis Caroli le Cointe To. II. Ephemer. 38. iudicium ferentes inter alia ex versione latina Nitzschii scribunt: *Cum Gregorio Turonensi imprimis male se res habet. Nam historiae ipsius non saltē plurima supposita sunt adiecta, sed etiam textus ipsius pluribus in locis immutatus est, sub eo nempe prætēxtu, ut elegantior redderetur.* Eadem est sententia Natalis Alexandri Synopf. Sæc. VI. cap. IV. Artic. 12. & Latini Latinii in Bibliotheca Sacra, cui obseruationes & coniecturæ in ipsam Gregorii Turonici historiam insertæ sunt. Simpliciter vero Gregorii a Baronio agnitam pluribus exemplis confirmat idem Alexander Sæc. I. Dissert. XV. Quamobrem non est, ut tantū faciamus simplicis credulique Gregorii auctoritatem, eumque præferamus aliis optimæ notæ Scriptoribus, qui figmentum de Baptismo Constantini Romano suo improbant silentio.

XII. Sequitur *Hadrianus Papa primus circa ann. 786. in epistola ad Constantinum Imperatorem & Irenem eius matrem, lecta in Synodo Generali 7. & eius actioni 2. inserta, ubi narrat Constantini conuersionem, & ex Petri & Paulli præscripto trina immersione a S. Syluestro baptizandum: Hunc (inquit ex verbis Petri & Paulli, de Syluestro in mente latente ad Constantinum) cum ad te adduxeris, ipse tibi piscinam ostendet, in quam dum tertio merferit, omnis te valetudo deseret lepræ.* Ita quidem verba Apostolis ab Hadriano tributa recenset Schelstratius, aliter tamen leguntur in editione Conciliorum a Petro Græbe adornata Tom. II. fol. 479. *Is tibi lauacrum pietatis, in quo lauaberis, præparabit, dabiturque tibi non modo lepræ, verum omnium morborum sanitas.* Vtunque vero hæc sese habeant, somnium illud Constantini vere somnium i. e. otiosi hominis figmentum esse dudum a nostris est ostensum, quibus plane adsentitur Alexander, monstratque mendacium esse, quod de Syluestro in Soracte monte latitante refertur, ac luculenti argumento totam fabulam subuertit: nam Iuliano τῷ ἠδιστατῆν obiicienti, baptisma neminem a lepra aliisque corporis morbis mundasse, Cyrillus Alexandrinus non reponit hoc Constantini exemplum, quo silentium Iuliano imposuisset, nec illud neglexisset ita obuium, si tam celebre in eius baptismo contigisset miraculum. Non alia ergo ratione Hadrianum a nobis ablegabimus, quam qua Nicolai primi auctoritatem (a Schel-

strat

stratio quod miror omiffam) declinavit Alexander, dicendo eam  
 pseudepigraphis Siluestri & Romani Concilii Actis falso persuasum. Ta-  
 ceo, quod multa falsissime in ista sua Epistola proferat Hadrianus, enu-  
 merata a Ioan. Dallæo lib. III. de Imaginibus cap. III. *cur ergo hic, ut*  
*eiusdem clarissimi Viri verba admodum, vel falli non potuisse, vel*  
*fallere noluisse putabimus, quem in tam multis aliis peccasse manifestum est?*

XIII. Nec maioris auctoritatis sunt Theophanes & Anasta-  
 sius Bibliothecarius, qui a Schelstratio his laudibus in medium pro-  
 ducuntur: *S. Theophanes Abbas Græcorum & miraculis in Oriente cla-*  
*rus: Mibi autem verius adparet, quod Romæ a Siluestro fuerit baptizatus,*  
*& quod nominatæ constitutiones, quæ ad Melchiadem feruntur, ab Aria-*  
*nis factæ sint, qui gloriam hinc sibi festinant acquirere, vel etiam piissimum*  
*Principem lacerare, dum scilicet ex hoc volunt eum non baptizatum osten-*  
*dere, quod est irrationabile atque falsissimum. Si enim non erat in Ni-*  
*cena Synodo baptizatus, ergo nec diuinorum participator mysteriorum: nec*  
*crabat cum Sanctis Patribus, quod nequissimum est & dicere & sentire.*  
*Ita Theophanes in chronologia tripartita, quam compilauit Anastasius Bi-*  
*bliothecarius, vir suo sæculo eruditissimus, qui & Concilio Generali Octauo*  
*interfuit, nec solum in Chronologia Theophanis, sed etiam in Pontificali*  
*Damasi inseruit huius rei testimonium: Hic in exilio fuit in monte Sorra-*  
*ctensi (inquit in vita S. Siluestri) & postmodum rediens cum gloria bap-*  
*tzauit Constantinum Augustum, quem curauit Dominus lepra. Verum*  
*hæc omnia vna litura delet Alexander, respondendo, maiorem fidem ad-*  
*hibendam esse antiquis Auctoribus, nimirum Eusebio, Socrati, Sozomeno &c.*  
*quam recentioribus, Anastasio, Theophani, Nicephoro. Theophanes*  
*Græcus scriptor sæculo octauo floruit, eiusque Chronographiam pu-*  
*blicare incepit Iacobus Goarus, quo mortuo Franciscus Combefisius*  
*eam perfecit notisque illustrauit. Hanc postea nactus CL. Vir, Io.*  
*Andr. Bosius, cum MS. Augustanæ Bibliothecæ contulit, cuius ope*  
*eum scriptorem multo emendatiorem, alicubi & pleniorum, completis qui-*  
*bus passim fædatus est lacunis aliquot, se aliquando editurum promiit*  
*Exercit. in Periocham Fl. Iosephi de Iesu Christo cap. II. §. 8. sed mor-*  
*te præuentus id præstare non potuit: spem tamen haud exiguam pu-*  
*blicandarum obseruationum illarum orbi litterato fecit CL. Schu-*  
*bartus in Præfatione Operis Bosiani posthumi, quod Introductio*  
*in Notitiam Rerum publicarum inscribitur. Quoniam autem*

Bibli-

Bibliotheca Bofiana in Academia Ienensis publicā peruenit, & ὁ μακα-  
 ρίτης variantes Codicis Augustani scripturas ad marginem libri im-  
 pressi manu sua accurate notauit, non ingratum erit Lectori, potissi-  
 mas illarum, quas mihi celebrem Bibliothecam lustranti excerpere li-  
 cuit, in loco a Schelstratio prolato adnotare. Exstat is pag. 14. editio-  
 nis Parisiensis: Τὴν τῶν ἑτέρι, ὡς Φασίπνεσ, Κωνσταντίνῳ ὁ μέγας σὺν κρεί-  
 στω τῶ ὑιῶ αὐτῆ ἐν Ρώμῃ ὑπὸ Σιλβέστρο βεβαπίσθησαν (MS. Aug. melius  
 ἐβαπίσθη) ὅσοι (MS. Aug. melius ὡς οἱ) καὶ τὴν πρεσβυτέραν Ρώμην μέχρι  
 σήμερον τὸν βαπτισθῆσαι ἔχουσιν εἰς μαρτυρίαν, ὅτι ὑπὸ Σιλβέστρο ἐν Ρώμῃ (in  
 Cod. Aug. absunt duo postrema) ἐβαπίσθη, καὶ τὴν ἀναίρεσιν τῶν τυ-  
 ράννων. οἱ δὲ καὶ τὴν ἀνατολήν ἐν Νικομηδείᾳ Φασεῖν αὐτὸν πρὸ τὸν θάνατον  
 ὑπὸ Εὐσεβίου ἔ Νικομηδέως Ἀρειανῶ βεβαπίσθαι, ἔνθα καὶ ἔτυχεν αὐτὸν κοι-  
 μηθῆναι. ἀναβαλλόμενῳ γὰρ ἦν τὸ βάπτισμα, Φασίν, ἐλπίζων ἐν τῷ Ιορδάνει  
 βαπίσθῆναι ποταμῷ. ἐμοὶ δὲ τὸ ἀληθὲς φαίνεται (MS. Aug. legit ἀληθέσε-  
 ρον, quod expresit Anastasius Bibliothecarius in Versione a Schelstra-  
 tio producta) ὑπὸ Σιλβέστρο ἐν Ρώμῃ βεβαπίσθαι αὐτὸν, καὶ τὰς ἐπὶ ὀνό-  
 ματι αὐτῆ φερομένας Ἀφτάξεις πρὸς Μιλτιάδην πεπλασμένας εἶναι τοῖς Ἀ-  
 ρειανοῖς, δόξαν ἐντεῦθεν (hanc voculam omittit Codex Augustanus)  
 περιποιῆσθαι σπυδάξουσιν ἑαυτοῖς, ἢ τὸν (MS. melius οἱ καὶ τὸν) πανόσιβῃ  
 βασιλέα κακίζειν ἐφέλουσιν, ἀβάπτιστον δεικνύντες ἐντεῦθεν, ὅπερ ἄτοπον καὶ  
 ψεῦδες. εἰ γὰρ καὶ ἦν βεβαπισμένῳ ἐν τῇ καὶ Νικαίαν συνόδῳ, λοιπὸν ἔδε με-  
 τάλαμβανε τῶν θείων μυσηρίων, ἔδε συνῆχετο τοῖς ἀγίοις πατέραςιν (hanc  
 valde in notis exagitat Combefisius, legitque ita Anastasius, sed MS.  
 habet συνῆχετο) ὅπερ ἄτοπώτατόν ἐστι (MS. modestius ἄτοπον) καὶ λέ-  
 γειν καὶ φρονεῖν. Quod vero Theophanis attinet auctoritatem, is sane  
 ultra quadringentos annos Constantini ætate recentior est, sententi-  
 amque tantum profert, quæ ipsi visa est probabilior, & alias Latinis  
 potius quam Græcis se adstipulari scriptis factisque ostendit. Non  
 est ergo, quod hominem moremur, minusque multo eius interpretem  
 Anastasium, qui Pontificis Romani Bibliothecarius illiusque sedis patre no-  
 bilissimus, obseruante Dallæo, fuit, & liber Pontificalis a Schelstratio  
 ipsi tributus dubiæ fidei & auctoritatis ab eruditis censetur. Non  
 latet me singularis Schelstratii de isto libro opinio, quasi ex tribus Ro-  
 manorum Pontificum Catalogis consarcinatus sit ab Anastasio Biblio-  
 thecario, ita ut apertissime constet, ex antiquiore sæculi quarti Catalogo  
 desumptos esse Consules, ex secundo sæculi sexti Catalogo acta singulorum

Pon

*Pontificum, & ex tertio seculi octavi ordinem & annos omnium ad illud tempus Petri Successorum, quemadmodum in Praefatione ad Lectorem docet ac repetit Annotat. in Can. X. Concil. Antiocheni, Cap. XI. Artic. I. n. 1. Vnde autem hanc suam opinionem firmabit vir doctus? Si quis contrarium adfereret, & anonos auctores ex libro Pontificali catalogos suos compilasse statueret, eadem frueretur probabilitate, solidisque argumentis a Schelstratio refutari haud posset: maxima enim incertitudine omnia sunt inuoluta. Quin si vera sunt, quae Philippus Labbeus To. I. Dissert. de Script. Eccles. pag. 252. obseruat, collectionem hanc ab Anastasio Bibliothecario confici non potuisse manifestum est, quum Henschenio & Papebrochio apud Schelstratium Dissertationis praemissae col. XX. testibus, Catalogus tertius deducatur vsque ad Stephanum tertium Papam, siue ad tempora Pipini & Caroli Magni Regum Francorum. Labbeus autem editionem Operum Damasi Romanam laudans inter alia haec scribit: Scite omisit librum de Romanis Pontificibus, quem vulgo plerique hac aetate Anastasio Bibliothecario vindicant, licet immerito. Et si enim librum illum adiectis ad priores multorum Pontificum Vitis auxerit ac locupletarit, non potuit tamen auctor esse prioris partis, quum viderim MS. Codicem optima notae tempore Caroli Magni exaratum, in quo vitae illae Damaso iam tum tribuebantur, antequam aut natus esset Anastasius, aut saltem ex primis infantiae crepundis emerisset. Quibus & similibus recensitis Natalis Alexander Synops. Saec. IX. Cap. III. Artic. 19. solenne illud dixerium subiicit: Adhuc sub iudice lis est. Digna etiam quae perpendatur David. Blondelli observatio, Prolegom. Pseudo-Isidori Cap. XII. Libri Pontificalis scriptor vixisse videtur ante A. D. 700. citatur enim a Beda, Amalario Fortunato, Walafrido Strabone, & aliis, Anastasio Bibliothecario, quem Bellarminus, Baronius & alii auctorem credunt, antiquioribus. Accedit maxima Codicum MStorum diuersitas, de qua omnes eruditi conqueruntur, quibus celebrium Bibliothecarum forulos excutere datum est, censentque Anastasium incertum esse in gestis Pontificum auctorem. Quis enim in tanta discrepantia certum & ab ipso Anastasio confectum librum indicabit, & criteriis minime fallentibus dignoscet?*

XIV. Octauo Leonem quoque nonum Pontificem Romanum aduocans Schelstratius, Leo nonus, inquit, in auctoritatem admissens Constantini Imperatoris Donationem aut Decretum, ex quo epistola 9.

C

ad

ακα-  
i im-  
tissi-  
re li-  
ditio-  
v xei-  
melius  
uέ xε  
xη (in  
v tu-  
κνοτον  
εν κοι-  
εδάves  
η δέσε-  
lstra-  
π' ονέ-  
τοis A-  
anus)  
Ασβη  
πον η xη  
δέ με-  
(hac  
ed MS.  
η xη λέ-  
is sane  
tenti-  
Latinis  
Non  
retem  
tyo no-  
stratio  
Non  
is Ro-  
Biblio-  
atologo  
olorum  
Pon-

ad Michaellem Patriarcham Constantinopolitanum laudat: *Baptismatis sui enucleatam commendationem.* At vero Papæ huius neququam nos mouet auctoritas; quandoquidem ea non obstante Schelstratius ipse confictam dicit donationem Constantini Magni, quæ ergo ipsius hac in re aduersus nos erit fides? vt taceam, quod iis iure optimo accensendus sit, qui de rebus ante 700. aut 800. præteritis idonei testes esse nequeunt, nisi cum Auctoribus coætaneis aut supparibus consentiant, aut saltem ab eorum vnanimi consensu non dissentiant, vt recte de eiusmodi hominibus iudicat Philippus Labbeus in Cenotaphio Ioannæ Papissæ euerfo, pag. 965.

XV. Nonum locum occupat Nicephorus Callistus ante 360. annos, qui dum omnes historicos Græcorum perlegerat, scribit libro 8. cap. 3. de Constantino lepra percusso, ad quam abluendam Principes Apostolorum pro sanguine infantium aquam baptismalem suadent a Siluestro adhibendam &c. Latius hæc confirmat libro 7. cap. 35. & post fundamenta hanc ob rem proposita concludit, quod Ecclesia a Siluestro eum Romæ baptizatum esse certo prædicat. Quapropter testatum omnibus esse volo, vt hic sic etiam ipsi tuto & opinentur & credant. Hæc homo Græcus & Schismaticus in omni antiquitate versatissimus. Ecquis huic homini non credat, qui tantis elogiis a Schelstratio ornatur? circumspiciendum nostro ante omnia fuit de aliquo encomio, vt incautos Lectores eo tutius circumuenire posset. Sane maiorem apud nos auctoritatem non obtinet Nicephorus, quam apud Alexandrum, a quo eum explosum esse supra notauimus. Quis enim credat homini tam remoti æui, narranti res vltra mille ante se annos gestas, & sectanti fabulosa Syluestri Acta, in tanto scriptorum sæculi quarti silentio? Quis tuto fidem adhibeat homini, quem Baronius sæpissime, etiam in Constantini historia, arguit mendacii ac erroris, Maldonatus audaciæ, Andradius inscitantiæ, Perronius κακομυθίας, ἀβλεψίας, Huetius crudelitatis, sapientiæ & fidei non satis spectatæ; imo quem ipse Schelstratius plus semel in aliis rebus deserit?

XVI. Multo minus id confirmant Georgius Cedrenus, Zonaras, Balzamon aliique Græci a Cardinali Polo relati. Nam Cedrenus eadem culpa laborat qua Theophanes, ex quo & Syncello & Ioanne Europalate confecit historiæ suæ corpus, obseruantibus Vossio, Miræo & Labbeo, a plagii tamen crimine alienus, iudicio CL. Thomasi Dissert. de

de Plagio liter. §. 182. Zonaras itidem recentior est, & a Latinis scriptoribus deceptus. Balsamon pleraque omnia ex Zonara mutuatus est, aduertentibus Wetstenio Præf. in Origenem p. 18. Beueregio Proleg. in Synod. n. 23. Meiero Relat. de Collect. Can. §. 32. & aliis: verum Alexandro Synops. Sæc. XI. cap. 6. Art. 5. *Balsamonem ex Zonara mutuatum falso conicere videntur, immo potius hunc ex Balsamone hausisse dicendum, quem ante ipsum floruisse verisimilius est.* Præterea quum omnes isti scriptores a Pontificiis ipsoque Schelstratio, prout caussa exigit, modo probentur, modo improbentur, quidni eadem nobis libertas concedenda? Nec mouent nos suffragia Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Baronii, Bellarmini, Iacobatii, ad quos prouocat Schelstratius. Sunt quippe ea hominum merito suspectorum, & fabulæ, quam oppugnamus, impensius addictorum, aduersus quos veritatem historicam defendimus: Ne iam dicam, quod iidem, Baronius imprimis, a Schelstratio nostro sæpissime deseruntur, quodque Bartoldus Nihusius Parte I. Artis Nouæ num. 72. expresse pronunciat, *eos, vtpote scriptores priuatos, non vero fidei conditores, defendere teneri suorum neminem, qui non velit*: quanto minus ergo nos illorum auctoritate tenebimur?

XVII. Sed hauserunt sua adserta *ex antiquis Romanæ Ecclesiæ Codicibus & Breuiariis, iuxta quorum fidem hucusque Romana Ecclesia in Breuiario suo a pluribus Pontificibus recognito retinet Baptismum Constantini Romæ susceptum a Siluestro Pontifice*, inquit Schelstratius: quem rogamus, vt exponere dignetur, quinam sint antiqui illi Romanæ Ecclesiæ Codices & Breuiaria, vtrum veram antiquitatem, an falsam & fictam præ se ferant? Breuiarium enim Romanæ Ecclesiæ hodiernum & recens admodum est, & Pontificum cura in plerisque non tam recognitum, quam corruptum magis & interpolatum, vti ostenderunt Io. Raynoldus de Rom. Eccles. Idol. Lib. I. cap. 8. Andr. Riuetus Cathol. Orthodox. To. I. Tract. II. q. 36. Io. Dallæus de Vsu Patrum pag. 93. D. Casp. Lœscherus Dissert. de Latrociniis in Scriptores publicos, §. 40. aliique passim. Nec id inficiantur prudentiores inter Pontificios, quanquam mutationem in dogmatis factam fateri nolunt. Sic Natalis Alexander Sæc. II. Dissert. XVI. *In Missalibus & Breuiariis et si quedam immutata sint, nihil tamen quod summam fidei spectaret, immutatum est.* Eiusdem sententiæ est Iesuita Zeidlerus in Epistola ad Andream Frommium Apostatam; sed contrarium demonstrauit Vener.



12  
Parens meus in Vindiciis Anti-Frommianis pag. 61. 62. Nec minor  
in historiis commissa est corruptio, quod vel vnicus conflictus de ve-  
ra secessus Brunonis in eremum causa aduersariis Launoii, Raynaudii  
aliorumque scriptis nobilitatus clarissime euincit. Hinc est, quod  
idem Raynaudus in Syntagmate de libris propriis c. 47. scribit: *Mul-  
ta sinuntur in Breuiario retineri, quæ Ecclesiam non præstat esse indubitata,  
& posse diligentia posteriori corrigi non diffitetur.* Ex quibus omnibus  
conficitur, nullum in Breuiario Romano præsidium collocari posse,  
forteque futurum est, vt Pontificii rei veritate magis perspecta fabu-  
lam de Baptismo Constantini a Syluestro suscepto ex eodem deleant  
atque adeo obseruent *Ecclesie canones, quibus sancitur, vt quidquid æ-  
veritate alienum in sacrorum officiorum codices irrepserit, tollatur,* comme-  
morante Ioan. Launoio in citato libello pag. 69.

XVIII. Examinauimus itaque omnia testimonia, quæ Schel-  
stratius ad fictitium Constantini Baptismum Romanum probandum  
magno molimine conquisiuit, vidimusque, ea vel ex scriptis supposi-  
titiis ac adulterinis desumpta esse, vel alia omnia ac ipsi viro docto con-  
traria inferre, vel nulla etiam auctoritate fideque pollere. Quamob-  
rem nemo non videt, quam inanis sit Schelstratii gloriatio, dum ea  
*firma antiquitatis testimonia, momentosa ac tam vrgentia vocat,* in quibus  
certe ne vmbra antiquitatis aut momenti ac grauitatis reperitur.

XIX. Subiicit Schelstratius *non minus vrgentia pro Baptismo  
Constantini Nicomedie testimonia,* Eusebii lib. IV. de vita Constantini  
cap. 61. & 62. Theodoretii lib. I. Histor. Eccl. cap. 32. Sozomeni lib. II.  
c. 34. Socratis lib. I. cap. 39. Libelli Synodici apud Labbeum Tom. II.  
Conciliarum fol. 88. Ambrosii in sermone de obitu Theodosii: Hie-  
ronymi in Chronico: Patrum Ariminensis Concilii in Epistola Syno-  
dica apud Sozomenum lib. IV. cap. 18. additque, Theologos Parisien-  
ses videri in hanc opinionem inclinare, ac eam ex Theophanis relatio-  
ne Orientalibus communem esse, recentioresque, vt Cuspinianum in  
vita Constantini, Petauium lib. VI. Rationarii temporum, cap. I. A. 337.  
& Cardinalem Perronium amplexos esse: quæ omnia libenter ad-  
mittimus, viro docto gratulantes, quod rei euidencia victus cum aliis  
suae sectæ hominibus veritati manus dederit.

XX. Quamuis autem hæc nobis sufficiant, plura tamen &  
veterum scriptorum testimonia & recentiorum confessiones adfere-  
mus,

mus, ut cuilibet adpareat, quantæ certitudinis sit Baptismus Constantini Nicomediensis, nequidquam haftenus a Baronio eiusque pedissequis impugnatus. In ipso autem limine remouemus, quæ apud Christophorum Iustellum Not. in Codicem Canonum Ecclesiæ uniuersæ Can. v. ac duodecimum Concilii Neocæsariensis, ex Athanasio leguntur, *Constantinum voluisse morientem baptizari, ἵνα τοῦ θνήσκοντος ἕδοξε βαπτίζεσθαι* ut docet Athanasius de Synodis Arimini & Seleuciæ. At enim Athanasius hæc non de Constantino, sed Constantio eius filio pronunciat, ut liquet ex editione operum Athanasii Parisiensi an. 1627. quæ reliquis communiter a Pontificiis præferri solet, To. I. p. 907. sed bene habet, quod Iustellus ipse in erratis *Constantium* reponit; proindeque mirum, in editione Codicis illius Helmstadiensi id non fuisse emendatum, nec licet coniecere, quamobrem Catalogus erratorum a Iustello editioni Parisiensi adiunctus, ibi omissus & pleraque illorum in Notis commissa relicta sint. Quanquam autem isto in loco de Constantio sermo sit Athanasio, consensu tamen eius in nostra controversia non destituimur, quandoquidem in eadem de Synodis Arimini & Seleuciæ Epistola refert ac per omnia probat Epistolam Synodicam Patrum Ariminensium, quorum testimonium a Schelstratio quoque adducitur. Gratis enim obiicit Franciscus Combesius in Notis ad Orientalium Synodicam de imaginibus, Manip. Orig. C. Politan. p. 148. *Quid si Athanasius, illud ipsum Ariminensium voluit eleuare, quo præcipue istud baptismum sic in extremis susceptum sanctum innuunt, ac ὁμολογῶντας ostendere, dum serio vtrumque Eusebium, Nicomediensem & Cæsariensem Arianae hereseos eo ipso libro infamat, quorum alter Constantini funesto illo baptismate initiator, alter vulgator exstiterit?* Sed infra ex ipsis Pontificiis proferentur, qui negant ab Eusebio Nicomediensi baptizatum Constantinum; tum initiauerit eum Eusebius, nonne is adhibuerit orthodoxam baptizandi rationem, insignis quippe orthodoxiæ simulator, ut intentionem non habuerit in orthodoxam fidem Constantinum baptizandi? Verba Ariminensium prout ex Latino sermone in Græcum ab Athanasio traducta sunt, ex pag. 878. transcribere operæ pretium est: ἐγνωκότες δὲ ἅμα καὶ τὸν μὲν τελευτῆν ἀξιὸν μνήμης Κωνσταντῖνον μὲν πάσης ἀκερβείας καὶ ἐξετάσεως, τὴν συγγραφεῖσαν πίσιν ἐκτεθεικότα. Ἐπειδὴ δὲ ὡς ἐξ ἀνθρώπων ἐγένετο βαπτισθεὶς, καὶ πρὸς τὴν ὀφειλομένην εἰρήνην ἀνεχώρησεν, ἀτοπὸν εἶναι μετ' ἐκεῖνον πικαινοτομεῖν &c. Hinc profli-

minor  
leue  
naudi  
quod  
Mul-  
itata,  
nibus  
posse,  
fabu-  
eleant  
quid a  
mme-  
Schel-  
ndum  
posi-  
con-  
mob-  
um ea  
uibus  
tismo  
antini  
lib. II.  
om. II.  
Hie-  
Syno-  
rifi-  
elacio-  
um in  
A. 337.  
er ad-  
m aliis  
men &  
dfere-  
mus,



gatur eorum sententia, qui Constantinū octauo decimo imperii anno a Syluestro baptizatum fingunt, quum Patres Ariminensis Concili & Athanasius noster diserte innuant, post Nicænam demum Synodum baptismo Imperatorem tinctum esse.

XXI. Plures testes recenset Io. Cabassutius Notit. Eccles. p. 124. Quibus adstipulatur, qui fuerat Romæ Senator Romanaque vrbis præfectus Cassiodorus, lib. 3. historiæ tripart. Constantinum morti appropinquantem fuisse apud Nicomediam ab Eusebio Nicomediensi, qui gratia immodice apud eum præualuerat, baptizatum: cum pridem constitisset ad fluentem Iordanum baptismo initiari. Testificatur hoc idem Gelasius Cyzicenus lib. III. qui apud nos intercidit, sed eius testimonium adducit Photius in Bibliotheca. His conformia scribit Chronicon Alexandrinum. Equidem Cassiodorus ex historicis Græcis ab Epiphanio Scholastico in latinum sermonem translatis Historiam tripartitam adornauit circa an. D. 545. coniectante David. Blondello Proleg. Pseudo-Isid. cap. XII. pag. 68. & hoc loco Theodoretī ac Sozomeni verba adduxit, suoque suffragio comprobauit: quæ autem de Eusebio Nicomediensi tanquam ex Cassiodoro addit Cabassutius, in editione Hist. Tripartitæ a Beato Bildio, qui vulgo Rhenanus dicitur, adornata non reperio. Gelasius Cassiodoro antiquior est, ac paullo post Socratem & Sozomenum circa quinti sæculi finem vixit, eiusque auctoritatem, vtut paruum apud nonnullos Pontificios, non tamen adeo spernendam esse docuerunt B. Dorscheus Exerc. ad Diatyp. Concil. Nicæni Sect. II. §. 22. & D. Bebelius Antiq. Eccles. Sæc. IV. P. I, p. 65. 66. De fine Historiæ eius & suffragio circa Baptismum Nicomediæ a Constantino susceptum ita Photius Biblioth. Cod. LXXXIIX. Τελούτῃ εἰς τὴν Ἐμεγάλῃ Κωνσταντίνῃ τελούτῃ, ἐν ἣ ἡμεῖς τὸ τῆς ἀφέσεως ἐδέξατο θεῖον λυτρὸν, τὰς ἐν βίῳ κηλίδας, οἷς εἰκὸς ἀνθρώπων ἔντα ἐφελκόμενον ταύτας, ἀπολασάμεν. τυχεῖν δέ, φησι, ἔβαπτίσματ, ὀρθοδόξῃ μυσταγωγήσαντ, καὶ τελέσαντ, ἀπὸ ἕχ, ὡς πρὶν ἔδοξε, τῶν αἰρετικῶν πν, χειροπλήσαντ. ἡ δέ γε ἀναβολὴ αὐτῶ ἔβαπτίσματ παρετείνετο ὅτι δι' ἄπιστίας πλείστης ἦν αὐτῶ τοῖς Ιορδάνῃ βαπτίσασθαι.

XXII. Ad recentiores nunc progredientes scriptores singulare fatum, quod Ioanni Morino in hoc negotio obtigit, silentio minime prætereundum censemus. Ediderat is sub finem anni 1629. Gallico sermone Historiam liberatæ Ecclesiæ a Constantino Imperatore, ac  
supre-

supremæ summorum Pontificum in rebus temporalibus potestatis, quam a Christianissimis Franciæ Regibus acceperunt: quo Pontificis iram in se concitavit. Rem omnem exponit vir doctus, qui Morini vitam literis consignavit, præfixam Antiquitatibus Ecclesiæ Orientalis superiori anno Londini editis, & currente Lipsiæ recusis. Ibi pag. 13. edit. Londin, sequentia legimus: *Morino præterea stomachabatur Urbanus VIII. quod de Baptismo Constantini agens in eorum sententiam propenderet, qui negant Romæ illum baptizatum; scilicet opponebat Imperatoris illius baptisterium, quod in Basilica Lateranensi visitur.* Qui Gallica delectantur lingua, legant Epistolam 28. & 35. quarum utraque a Renato Gœzaldo ad Morinum scripta est, & plura ea de re cognoscent. Cardinalis Barberinus in mandatis dedit Iosepho Mariæ Suaresio, ut Morini opus examinaret, qui inter alia minus recte dicta nostram quoque sententiam atro carbone notavit, ac Morinum publice eo nomine reprehendit Libro III. Prænestes Antiquæ cap. 7. p. 142. Iniuncta itaque Morino est nova Libri editio, qua corrigere, quæ aulæ Romanæ displicebant. Hinc est, quod narrat Gœzaldus in posteriori Epistola de Suaresio: *Et me reitera ce qu' il m' avoit dit autrefois comme Monseigneur le Cardinal Barberin luy ayant commande de voir vostre livre mesme pour satisfaire au Pape qui en estoit un peu esmeu a cause de son Baptistaire de St. Jean de Latran &c.* Morinus ea omnia in nova operis sui editione, quam paraturus erat, ad mentem aulæ Romanæ se reformaturum libenter pollicitus est: et si promissis suis minime steterit: nunquam enim visa est secunda libri illius editio, obseruante vitæ eius scriptore pag. 15. Præterea quantascunque Morinus apud Romanos simulates sustinuerit, egregios tamen ex suæ religionis hominibus ad stipulatores nactus est. Nam tunc etiam Romæ non defuere viri Illustrissimi, atque in primis Cardinalis Bagnius, qui contra summi Pontificis & Cardinalis Barberini sententiam Morini Librum suffragiis suis adprobarent, ut idem auctor refert, additque Petr. Halloixium Iesuitam Duacensem Morino per literas consensum suum testatum esse, cuius verba nos supra attulimus, ubi de Baptisterio Constantiniano egimus, ad quod sine fraudis suspicione conseruandum Pontifex vnice has mouerat turbas. Post ea tempora plures Latinarum partium veritati subscripserunt, in primis Gallicanæ Ecclesiæ libertatibus innutriti, Henricus Valesius Adnotat, in Lib. IV. Eusebii de vita Constant, Cap. 61. & in Socratis Hi-

anno  
cili &  
odum  
p. 124.  
fectus  
antem  
modice  
uenta  
b. III.  
iothe-  
Casfi-  
n fer-  
D. 545.  
g. 68.  
ragio  
x Gal-  
ildio,  
iodo-  
quinti  
nnul-  
Dor-  
belius  
uffra-  
Pho-  
vs te-  
as, dis  
not, &  
s non  
Bæmli-  
Bæmli-  
gulare  
inime  
Gallico  
re, ac  
supre-



Histor. Eccles. Lib. I. cap. 39. Anton. Godauus Histor. Eccles. Lib. 4. pag. 491. Ioannes Cabassutius Notit. Eccles. pag. 124. qui Baronio alios tres opponit Cardinales, *Cusanum, Æneam Syluium, postea Pium II. Papam & Perronium*; Natalis Alexander, Doctor Sorbonicus, sæpius hætenus Schelstratio oppositus, Synopf. Sæc. IV. c. VII. §. 1. & Diss. XXII. qui præterea commemorat, *eandem sententiã propugnare virum doctissimum, Hermannum Doctorem Sorbonicum, in obseruationibus ad vitam S. Athanasii, quam Gallico sermone tam accurate, quam eleganter conscripsit, & quotquot sunt, vt plurimum, eruditos.*

XXIII. Non inepte itaque scripsisse videtur Auctor Dissertationis de Trisagii Origine cap. IX. *Certe per plura sæcula nullus fuit inter Latinos, qui Constantinum Romæ Syluestri Romani Pontificis opera baptizatum esse non existimauerit. Tam celebris narratio diu nullo contradicente in Breuiario lecta est; Miracula quibus scatet, adhuc audit plebs mirabunda. Quid? quod id ipsi Græci Scriptores tanquam certum a nono, vt videtur, seculo habuisse videntur, Theophanis in Chronographia hallucinationes & absurdas rationes sequuti, quas eo de argumento habet ad Annum Constantini XVIII. Quis tamen iam credit Constantinum, non Romæ, sed Nicomediæ, non Syluestri manu, sed Eusebii Nicomediensis opera fuisse lotum? Quod monstratur peregrinis & cernitur Romæ Constantini baptisterium, id ineptam vulgi credulitatem arguit, non istius fabule, & miraculorum commentitorum fidem valet confirmare. Vnde satis liquet, testes nostros, non modo, si antiquos spectas, omni exceptione maiores existere, quippe vel coæuos, vel proximæ ætatis; si recentiores, nec iudicii nec eruditionis felicitate destitui: verum utrosque etiam comparatos cum iis, quos pro fictitio Baptismo Constantini Romano adfert Schelstratius, & numero & auctoritate istos maxime antecellere.*

## PARS POSTERIOR.

### I.

**P**rofligatis hætenus testimoniis, quæ ad Baptismum Constantini Romæ a Syluestro susceptum confirmandum protulit vir doctus, & ex aduerso veritate Baptismi Nicomediensis euicta, supersedere quidem possemus refutatione peculiaris illius de Rebaptizatione Constantini sententiæ, quando ex superioribus sponte  
con-

consequitur, sandatum Imperatorem semel tantum Nicomediæ in fine vitæ baptismo initiatum esse. Quoniam vero examen nouantiquæ istius coniecturæ primario propositum mihi fuit, statim ad id me accingam, ea quidem ratione, vt primum in scriptorum testimonia, tum in argumenta ac denique in exceptiones Schelstratii breuiter inquiram.

II. Antea vero considerabimus verba, quibus §. 328. suam opinionem proponit vir doctus: *Gravis ut patet ex vtriusque sententiæ fundamentis & antiquissima est de Baptismo Constantini difficultas, pro qua dum anxie in vtramque partem a Theologis Parisiensibus quæri, vnumque ex præcipuis punctis in quotidianis eorum disputationibus ventilari animaduertentem, incidit possibile fuisse, Constantinum & Romæ & Nicomediæ baptizatum, quum pro utroque tam vrgentia militent testimonia, & unum cum alio possumus admittere, si baptizatum Romæ, rebaptizatum Nicomediæ velimus defendere.* Duo hic in primis censuram merentur. Mirum enim est, circa controuersia momentum adeo diuersa sentire Schelstratium, ut infra §. 332. ceu parui momenti controuersiam traduxerit, quam antea grauem & antiquissimam difficultatem, & alibi antiquissimum inter Occidentales & Orientales Ecclesias disfidium dixerat, quæ certe inuicem consistere nequeunt: quare Baronio etiam Anno CCCXXIV. n. 31. res permagni ponderis & Valesio Adnotat. in Euseb. pag. 251. magna quæstio audit. Deinde in rebus Historicis non solet in controuersiam vocari, quid fieri potuerit, sed quid factum fuerit, ac semper iudicium ferendum secundum id, quod æquales suppareque scriptores memoriæ prodiderunt. Ineptum itaque est, sollicitè quærere de iterato Constantini Baptismo, quem semel saltem Nicomediæ ipsi collatum sæculi quarti quintique scriptores vnanimi consensu referunt.

III. Pergit Schelstratius; *Fateor quidem, cum istud viris eruditissimis Parisiis proponebam, tanquam nouum ac inauditum aliquid fuisse susceptum, at re grauiori lance perpensa inueni, quam verisimum sit illud sapientissimi Salomonis diuinitus inspiratum: nihil esse noui sub sole.* Eximvero quod & ego nouum quid existimabam, ante centum annos retulit Eminentissimus Cardinalis Iacobatus libro 10. de Concilio, sese ex Iacobo Zeno, Patauino Episcopo adducere, & ex tribus, quas refert de Baptismo Constantini peritorum sententiis, vnã esse eorum, qui Constantinum a Siluestro  
D
qui

quidem baptizatum admittunt, sed dicunt eum postea in Arianam hæresim lapsus fuisse ab Eusebio Nicomediensi rebaptizatum. Et hoc consonat iis, quæ tunc plures viri Catholici dicebant, qui volebant ab hæresi reuersos esse baptizandos, vt fuit Cyprianus Martyr. Vltimis verbis ab ea sententia se non abhorrere insinuat Iacobatus, & licet ratio, quam allegat, explodenda sit, auctor tamen Zeno, magnæ auctoritatis Episcopus, floruit tempore Martini V. ante ducentos quinquaginta annos, vt ad illum & citatos ab ipso auctores respicere potuerit Platina in vita Felici II. scribens, a nonnullis rebaptizationem per Eusebium Nicomediensem magno Constantino adscriptam, idque ante hos Marianum Scotum retulisse ab annis sexcentis ostendemus infra. Videri posset, primum figmenti enarratorem esse Marianum Scotum, sed quum id parum verosimile esse mox ostendum sit, adiungemus prius aliud a Schelstratio in præfatione ad Lectorem adductum testimonium; Idque vt maiorem confirmationem acciperet, dignum iudico, vt adnectatur, quod ad me perscriptum est a doctissimo Viro Ioanne Mabillonio Parisi anno 1676. ratio scribendi vt puto, non ingrata futura est in gratiam operis, quod moliris. Quippe in libro Anselmi Hauerbergensis Episcopi aduersus Græcos, sententia tua de duplici Constantini Baptismo, vno per Siluestrum Pontificem, altero per Eusebium Nicomediensem diserte adseritur. Floruit hic auctor ante annos quingentos, opusque suum dedicat Eugenio Papæ tertio. Porro opus istud hætenus ineditum profert in lucem noster D. Acherius in Spicilegii sui tomo XIII. qui sub finem huius anni venalis erit. Id te monuisse visum est aliquod operæ pretium. Hæc vir in Gallia celebris. Meminit huius Auctoris Schelstratius Concil. Antioch. Diss. I. cap. V. num. 10. aitque, celebrem illum disputationem habuisse Constantinopoli cum Nichete Nicomediensi Archiepiscopo, eamque postmodum Alexandro III. nuncupasse, ad cuius instantiam ab Anselmo etiam edita fuerit. Mihi non licuit esse tam felici, vt tommum illum Spicilegii Dacheriani oculis vsurpare potuerim, proinde iudicare nequeo, vter verum dicat, Mabillonius an Schelstratius, opusne suum Eugenio III. an Alexandro III. inscripserit Anselmus? in primis quum Mabillonio adstipuletur Natalis Alexander pag. 388. qui pluribus Anselmum nobis depingit: Floruit Anselmus Hauerbergensis Episcopus tempore Lotharii Imperatoris, cuius exstitit Apocrisiarius ac legatus Constantinopolim missus ad Græcorum Imperatorem, vbi a Græcis Episcopis prouocatus, celebrem Conuentum instituit curauit, in quo de Con-

tro-

trouersus Græcos inter & Latinos vltro citroque disputatum est : quod Eugenio III. narrat ipse Anselmus. Verba illius Episcopi de rebaptizatione Constantini addita responsione refert idem Natalis, a quo ea in gratiam Lectoris mutuabimur: Eusebius quondam Nicomediæ Episcopus, totus Ariana hæresi fermentatus, sicut narrat Historia a Theodorito venerabili Episcopo Græco sermone conscripta, & a Cassiodoro per Epiphanium Scholasticum in Latinum nostrum translata, magnum Constantinum Imperatorem in Arianum dogma rebaptizauit. Ita enim ibi legitur: Constantinus ægritudine captus, ex vrbe Constantinopolitana quasi ad calidas aquas egressus est; qui cum Nicomediæ degeret, languore grauatus, nec ignorans vitæ huius incertum, gratiam sacri baptismatis est adeptus. Hunc eundem Constantinopolitanum Imperatorem, sicut narrat Historia Ecclesiastica ab Eusebio Cæsariensi Palestinæ Episcopo conscripta, beatissimus Papa Siluester prius in initio suæ conuersionis Romæ intra Palatium Lateranense baptizauerat. Subiicimus Alexandri responsionem, Nullius ponderis esse Anselmi Havelbergensis testimonium, qui circa medium sæculi XII. duntaxat floruit. Ipsum falso laudare Eusebium Cæsariensem, vt testem baptismi Constantino Imperatori Siluestri Papæ ministerio collati. Falso item laudare Theodoretum velut adserentem in Historia Ecclesiastica, Constantinum in Arianum dogma fuisse rebaptizatum. Hunc Episcopum in Historia Ecclesiæ & Ariane hæreseos peregrinum & hospitem fuisse. Actis Pseudepigraphis Siluestri fidem imprudenter adhibuisse, illisque adductum ad nouum illud Systema de Constantini rebaptizatione fingendum, quo Acta illa cum veteribus Auctoribus Ecclesiasticis conciliaret. Nullo antiquorum testimonio nixum commentum illud sponte sua ruere. Hæc ibi Alexander, quem mirari subit in Historia Ecclesiastica Sæculi XII. quæ hoc demum anno prodiit, Cap. VI. Art. II. eximiam eruditionem cum summa pietate & modestia coniunctam in hoc auctore laudasse.

IV. Quum itaque præcipuus Schelstratii testis tam exiguæ fidei sit & auctoritatis, de cæteris breuiter dispiciemus. Inter eos antiquissimus est Marianus Scotus, scriptor sæculi vndecimi, tanta Schelstratio æstimatus, vt non solum Antiq. Illust. n. 329. scripserit, Legere Marianum Scotum in Chronico, quod anno 1083. conscriptum ex Bibliotheca Gemblacensi ad se missum testatur Aubertus Mireus, rebaptizatus ad dogma Arianum declinat; sed in Concilio etiam Antiocheno Dissert. II. cap. I. n. 7, idem inculcarit: agens enim ex Hieronymo & Isidoro





72  
doro Hispalensi de Baptismo Constantini Nicomediensi, inquit: *eadem habet Marianus Scotus in chronico, quamuis, ut alibi monuimus ex Alberto Mireo, Codex Bibliothecæ Gemblacensis loco Baptizatus, legat Rebaptizatus, rebaptizasse autem Arianos nemo peritorum ignorat.* Nec quæquam tamen eruditorum latet, passim a Pontificiis errorum ac insci-  
tiæ Marianum postulari, & acriori censura notari a Labbeo in Ceno-  
taphio Ioannæ Papissæ, Rob. Bellarmino Lib. II. de Pontif. Rom. c. V,  
& aliis: ut mirum sit, huic scriptori tantum tribuisse Schelstratium,  
Tum Codicis Gemblacensis lectionem interpolatoris fraudibus, quas  
idem Labbeus alibi in Mariani Opere conspici obseruat, tribuendam  
esse, cæterorum Codicum tam manu exaratorum quam typis impres-  
sorum vniuersalis arguit consensus, vnde nec Miræus diuersam hanc  
lectionem textui inferere ausus est, nec ipse aut Schelstratius vllum  
præterea proferre potuerunt Codicem, quo ea confirmaretur. Ea-  
dem itaque libertas nobis est concedenda, qua vir doctus ipse vtitur  
Eccles. Afric. Dissert. I. cap. VI. de sensu Epistolæ Siricii aduersus  
Quæsnellium disputans, qui dum Codicis Oxoniensis præferebat lecti-  
onem, hoc a Schelstratio retulit responsum: *Quisnam certo dicet, lecti-  
onem Oxoniensis Codicis esse genuinam? Quod & nos de Codice Gembla-  
censi reponimus, quum Criticorum consensu certum sit, vnius Codi-  
cis discrepantiam tot cæteris nihil præiudicare.* Adiciamus vero a-  
lium incertæ ætatis fideique scriptorem, a Schelstratio nostro præter-  
missum, quanquam eius testimonium hanc ipsam ob causam parui sit  
momenti, Benedictum Presbyterum in vita Damasi, ab insigni Aria-  
norum fautore, Christophoro Sandio, initio Libri secundi Enucleatæ  
Historiæ Ecclesiasticæ in medium productum: *Constantinus non inte-  
gre Christianus, sed quasi tentator baptizatus est (a Siluestro) in Trinitate,  
non tamen integre confitebatur vnitatem, baptizatus autem est ab Eusebio  
Nicomediæ, in Aquilonia villa. Hic autem dicebat Mariam de Ioseph a-  
lios filios habuisse. Item: Constantinus claram adeptus victoriam, sed  
sensu alienatus, dicebat: vadam Nicomediam; & illo transiens, in Aquilo-  
ne villa ab Eusebio Episcopo Nicomediæ rebaptizatus est, declinans in dogma  
Arianorum. eodem loco mortuus est, & sepultus, & cessauit persecutio.*

V. Sæculo quinto decimo plures Patronos hoc figmentum  
nactum est. Non solum enim Iacobus Zenus, Patauinus Episcopus,  
id adoptauit, sed suos etiam, quos sequeretur, habuit auctores, refe-  
rente,

rente, sed eos non nominante Schelst. cuius coniecturam non improba-  
 mus, quando Platinam in vita Felicis secundi hos respexisse putat, p. 52.  
 edit. Onuph. ita scribentem: *Felix autem, quem diximus in Liberii locum  
 a Catholicis surrogatum esse, licet id factum ab hæreticis Eusebius & Hiero-  
 nymus adfirmant, quod certe ego miror, statim ubi Pontificatum iniit, Con-  
 stantium Magni Constantini filium, hæreticum & secundo rebaptizatum  
 promulgat ab Eusebio Nicomediensi episcopo in Aquilone villa non longe a  
 Nicomedia. Hinc autem deprehendi error potest, quo ducuntur nonnulli,  
 qui hanc hæresin Magno Constantino adscribunt. Quod profecto (vt ex  
 historia vides) in tantum Principem, tamque religionis Christianæ aman-  
 tissimum, nec debuit cadere nec potuit. Equidem in eo facile ad senti-  
 mur Platinæ, quod Constantinum a Rebaptizationis crimine purgat,  
 sed in iis, quæ de Felice & Constantio librum Pontificalem sequutus  
 narrat, falsus est, vti non modo Iacobus Gothofredus Dissert. in Lib.  
 IV. Philostorgii Cap. III. sed & ex Pontificiis Onuphrius Panuinius,  
 Hermannus in vita Athanasii citatus a Petro A. Dissert. de Trifagio  
 Cap. IX. & Nat. Alexander Sæc. IV. Dissert. XXXI. Art. 3. euincunt,  
 ad quos Lectores cupidos remittimus.*

VI. Cæterum Schelstratius ostendere conatur, ex ipso Euse-  
 bio Cæsariensi colligi posse duplicem Constantini Baptismum, prius  
 vero quam id adgreditur, Eusebii fidem eleuare laborat, quod mini-  
 stri baptizantis nullam fecerit mentionem: *Scribit Eusebius lib. 4. de  
 vita Constantini, cap. 61. & 62. Constantinum Nicomediæ circa finem vitæ  
 baptizatum: sed cur quæso non indicauit Eusebius, quis eum baptizauerit?  
 & vel ex hoc vnico patet, Eusebium non omnes circumstantias Baptismi cir-  
 ca finem vitæ suscepti voluisse exprimere, quod sciret ex Eusebii Nicomedi-  
 ensis ministerio hunc Constantini Baptismum apud posteros suspectum fore,  
 & reprobatione dignum. Hinc est, quod num. 332. monet, non adeo ad-  
 hærendum esse testimonio Eusebii, quem ex silentio de Baptismi ministro va-  
 fre hic scripsisse constat, vt merito ipsius hac in re fides de liberato per Bapti-  
 smum in fine vitæ a peccatis Constantino suspecta esse possit. Non opus  
 est prolixis fidei Eusebianæ in hac historia vindiciis, quas non modo  
 Dorscheus, Scultetus & alii parte priori citati, sed ex ipsis quoque Pon-  
 tificiis Alexander & Cabassutius prolixè & sufficienter instituerunt:  
 id saltem animaduertisse satis erit, secundum Schelstratii hypothefin  
 vafros etiam dicendos Theodoretum, Sozomenum, Socratem, Eua-  
 grium*

it: ca-  
 ex Au-  
 t Reba-  
 c quen-  
 c in sci-  
 a Ceno-  
 m. c. V,  
 atium,  
 us, quas  
 endam  
 m pres-  
 m hanc  
 vllum  
 . Ea-  
 e vtitur  
 duersus  
 at lecti-  
 t, lecti-  
 embla-  
 s Codi-  
 vero a-  
 præter-  
 arui sit  
 ni Aria-  
 ucleatæ  
 on inte-  
 initate,  
 Eusebio  
 Ioseph a-  
 m, sed  
 Aquilo-  
 in dogma  
 utio.  
 mentum  
 scopus,  
 s, refe-  
 rente,

grum, Ambrosium, ac vniuersum Concilium Ariminense quadringentorum Occidentis Episcoporum, quorum certe nullus Eusebium Nicomediensem vt Baptismi Constantini administratorem commemorat, sed ad vnum omnes sufficere putarunt, si Constantinum in fine vitæ baptizatum adsererent, nulla ministri baptizantis mentione facta: horum vero omnium fidem eleuare non nisi insani esset, *praesertim, quum historico quaedam interdum praeterire liceat, quatenus eiusmodi sunt, vt salua historiae tractatione omitti possint*, docente CL. Viro & Doctore meo Conr. Sam. Schurzfleischio Dissert, qua primi Christianorum Imperatoris antiquitates illustrauit, tmem. 4. Nec est, quod cum aduersariorum nonnullis excipias, citatos scriptores cæco impetu Eusebium sequutum esse. Vt enim non tangam controuersiam a Iacobo Gothofredo motam, sed ab Henr. Valeſio Annotat. in Euseb. p. 216. 237. Ioan. Andr. Bosio Exerc. poster. de Pontificatu Maximo Imperatorum Romanorum Cap. IIX. §. 5. & imprimis Martino Hankio de scriptoribus Byzantinis Cap. I. §. 174. seq. dudum sopitam, qua dubitatur, an Eusebius sit Auctor librorum de vita Constantini hodie sub ipsius nomine exstantium? quos proinde male Macario Hierosolymitano tribuit Christophorus Sandius Tract. de Script. Eccles. pag. 48. notatus Bebelio nostro Sæc. IV. P. I. p. 213. 214. id sane nemini incredibile videbitur, Theodoretum cæterosque historicos, vt ut præ manibus habuerint Eusebium, non tamen in illius gratiam quidquam de Baptismo Constantini adseruisse, sed integrum veritati testimonium reddidisse. Quo faciunt verba Alexandri Eusebium aduersus Baronii *ἐγκλήματα* defendentis: *Sed esto, Eusebius tam impudenter mentitus sit* (in Baptismo Constantini Nicomediensi enarrando) *cur nullus veterum scriptorum mendacium illud subodoratus est? cur omnes in Eusebii sententiam descenderunt, & cum ipso adfirmarunt, Constantinum morti proximum in suburbanis Nicomediae baptizatum fuisse?* De Occidentalis vero Ecclesiae Patribus, qui in Synodo Ariminensi congregati fuere, ac de Ambrosio res aliter se habere videtur. Neque enim ad illorum manus peruenisse videntur Libri Eusebii de vita Constantini, vt adeo illum sequuti sint, & non potius baptismum Constantino in vitæ fine collatum ex propria sententia & auctoritate confirmauerint. Vtcunque vero istud se habeat, maioris certe momenti est dubitatio, ex illorum scriptorum exorta silentio, qui testamentum a Constantino

factum,

factum, cui interfuit Eusebius Nicomediensis, referentes, nullo tamen verbo innuunt, ab hoc Eusebio Imperatorem esse baptizatum, sed prima illius mentio occurrit in Chronico Hieronymiano. Rem exponam verbis Ioan. Iac. Mulleri in Appendice συγχεῖσως Concilii Nicæni & Tridentini pag. 95. 96. *Quod Eusebius Nicomediensis Constantini baptismo adfuerit, non nego, videtur id indicare Theodoretus L. I. in fine, qui cum breuiter exposuisset, Constantinum lauacro aquæ baptismatis fuisse purgatum, ablutumque a peccatorum sordibus, de testamento exequitur, quo tribus filius hæreditatis cernendæ leges constituerit; additque de Magno Athanasio, quem rex postliminio in Ægyptum se referre ad Alexandrinum Episcopatum iusserit, idque præsentem Eusebio Nicomediensi, frustra que dehortando conante. Breuissime hæc Theodoretus, vt facile videas, non hæc omnia eodem temporis tenore illicoque gesta esse, vt adeo nec ex hoc historico necessario cogas, Eusebium, qui testamento condendo adfuit, interfuisse & sacris illis: factamen interfuisse, num nam, quia princeps eius loci episcoporum fuit, certum omnino sit, eum baptizasse? quod si Eusebius Pamphili tantopere voluit Ariane causse, vt iudicat Baronius, non ego mihi persuadere possum, plus potuisse in historico illo pudorem, vt Annalium conditori placet, ad dissimulandum aut quocunque modo inter cætera figmenta retinendum nomen Eusebii Nicomed. quam studium fauorque in Arianam hæresim, ad celebrandum eum huius tanti negotii administrum; quandoquidem, si illa cætera tam enormia aduersum apertam veritatem protrudere sustinuit, eccur id, vnde summus fauor suarum partium hominibus quæreretur, in publicum edere erubesceret? Hæc crudite Mullerus, quæ expendenda Schelstratio nostro relinquimus, in primis, quando nouimus, Spondanum in Epit. Annal. Baron. An. 324. n. 18. fateri, non constare, an ab Episcopo Ariano baptizatus sit Constantinus: idemque prolixius ostendere Alexandrum pag. 387. 388. qui ab Oho Imperatorem baptizatum cõniicit, non inepto, vt videtur, vsus ratiocinio, quod is in comitatu frequens versaretur, & adeo Imperatori charus erat, totque meritis spectabilis, ac præsertim nomine Ægyptii, id est Magi cuiusdam ex Iberia oriundi, a quo lustrationem suscepisse ipsum dicit Zosimus, auctor maximi apud Baronium pretii, designatus videri possit.*

VII. Videamus nunc, an recte Schelstratius Eusebii consensum sibi fuerit pollicitus? *Quidquid sit, inquit, non ita se moderari potuit Eusebius, quin alibi hunc Baptismum iterato collatum insinuare visus sit.*  
 Enim-

quadrin-  
 usebium  
 comme-  
 um in fi-  
 nentione  
 let, præ-  
 enus eius-  
 CL. Viro  
 mi Chri-  
 Nec est,  
 res cœco  
 ntrouer-  
 notat. in  
 catu Ma-  
 Martino  
 opitam,  
 stantini  
 rio Hic-  
 Eccles.  
 ane ne-  
 os, vtut  
 m quid-  
 ati testi-  
 n aduer-  
 pudenter  
 do) cur  
 omnes in  
 antinum  
 e Occi-  
 gregati  
 enim ad  
 tantini,  
 antino in  
 uerint,  
 bitatio,  
 tantino  
 factum,



Enimuero lib. 4. de vita Constantini cap. 17. scriptum reliquit de eiusdem Imperatoris pietate, qua frequenter constitutas cum vniuerso Ecclesie cœru preces reddebat, quod solo baptizato competiisse, lucet ex antiqua Ecclesie regula, quæ Catechumenos, multo magis Ethnicos, cum fidelibus orare vetabat, vnde & Tertullianus libro de Præscriptionibus cap. 40. hæreticos refellit, quod apud eos, quis Catechumenus, quis fidelis, incertum est: pariter adeunt, pariter orant, etiam ethnici, si superuenerint. Idque vsque ad sæculi quinti finem obseruatum fuisse, testatur Magnus Chrysostomus homilia 79. ad populum Antiochenum, docens ab Ecclesia pro Petro orationem sine intermissione factam, & inquit, Catechumenis permissum hoc nondum est, sic in Ecclesia scilicet cum fidelibus orare. Et hæc quoque causa fuit, quod ipse Constantinus lege sanxerit, vt qui ex militibus fidem sequuti erant, diebus Dominicis possent Ecclesiam Dei frequentare, quo sine vlllo impedimento preces Deo persoluerent. Qui vero nondum diuinam degustarant doctrinam, vt diebus Dominicis in campos suburbiorum exirent, atque ibi eadem precatiois forma omnes simul vterentur. Hæc ipse Constantinus apud Eusebium Cæsariensem lib. 4. de vita, cap. 19. vt vel ex hoc pateat, quod dum Constantinum sæpius cum fidelibus publice in Ecclesia orasse scribit, simul & Romæ a Siluestro baptizatum fuisse insinuet. Miramur non immerito, Schelstratium potuisse hunc iterum mouere scrupulum, quem totiens a Theophane, Baronio eorumque pedissequis iniectum & a Nostratibus exemptum nouerat. Nec ego prolixè in eo amouendo ero occupatus, quum ex Schelstratii gregalibus id præstiterit Alexander pag. 354. cui præluxerat Henricus Valesius Annotat. in Euseb. pag. 251. 252. Fontes saltem responsionis, vestigiis Doctoris mei CL. Schurzfleischii tmem. 16. laudatæ Dissertationis insistens, aperiam. Notissimum est discrimen Catechumenorum in veteri Ecclesia institutum, quo alii rudiores, alii prouectiores in rebus fidei erant. Ab vno ordine ad alterum quin Constantinus progressus sit, nemo dubitauerit. Mos autem ista ætate erat peruulgatus, vt baptismum in vltimum vitæ tempus differrent. Hunc vtut forte imitandum sibi non proposuisset Constantinus, quippe fatalem horam tam cito impendere non cogitans, sed in aquis Iordanis baptizari desiderans, vltimo tamen die inopinato superueniente necessitatis vi coactus consuetudinem aliorum sequutus est, eoque tempore per ritum imponendæ manus perfectior Catechumenus euasit. Id volunt verba Eusebii lib. IV. de vita Con-

stan-

stantini Cap. 61. γόνυ κλίνας ἐπ' ἐδάφους, ἡκέτης ἐρίγνωτο ὁ θεῶν : Ita enim se gerebant Catechumeni classis præstantioris, qui Baptismi capaces iudicabantur, exindeque Competentium nomine veniebant. Res patet ex Scholiaste Harmenopuli, cuius verba recitat Ioan. Hoornbeeck Miscellan. Lib. I. cap. 7. p. 213. *In epitome Canonum Harmenopuli Sect. V. tit. III. Scholium ad Canonem, non XXV. vti præscribitur, sed V. Synodi Neocæsariensis, δύο τῶν κατηχημένων ἦσαν τάξεις. ἡ μὲν, τῶν γόνυ κλινόντων, ἡ τελειότερη, ἡ δὲ, τῶν ἀκρωμένων, ἡ ἀτελετέρη. Duo Catechumenorum erant ordines. Unus eorum, qui genu flectebant, perfectior scilicet : alter imperfectior eorum, qui audiebant.* Equidem instat Schelstratius ex Tertulliano hæreticos redarguente, quod apud eos quis catechumenus, quis fidelis, incertum est : pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant, etiam ethnici, si supervenerint. At facile tollitur hæc difficultas observatis diuersis Catechumenorum ordinibus antea commemoratis, ex quibus plurimum lucis his Tertulliani verbis accedere iudicat Gabriel Albaspinæus in Notis ad hunc Tertull. locum pag. 461. Ab homiliis vero Chrysostomi ad populum Antiochenum, e quibus morem hunc in Ecclesia vsque ad sæculi quinti finem observatum probare conatur vir doctus, omnis *νοθείας* suspicio non plane abest : eas quippe ex variis, tum locis, tum auctoribus, confutatas esse ostenderunt Mart. Chemnitius Part. III. Exam. Concil. Trident. pag. 336. Io. Gerhardus Lib. I. Confessionis Catholicæ Part. II. p. 549. Andr. Riuetus Lib. IV. Critici Sacri cap. 1. non adeo dissentientibus Rob. Bellarmino in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis & Anton. Posseuino in Adparatu. Ex Constantini denique Edicto militibus dato colligi nequit, eo iam tum tempore ipsum fuisse baptizatum. Nam & filius eius Constantius plurimas eiusmodi leges promulgavit, vt ex Libro XVI. Codicis Theodosiani patet, baptismum tamen non minus ac Pater in fine demum vitæ suscepit, nam *ὑπὸ θνήσκων ἔδοξε βαπτίζεσθαι*, vt supra ex Athanasio docuimus, confirmantque Socrates Histor. Eccles. Lib. II. cap. vlt. & Philostorgius Lib. VI. c. 5. Immo Valentinianus Imperator non minus graues & salutares Constitutiones in Christianorum gratiam publicavit, qui tamen ne quidem baptismo tinctus est, quum hac fini Mediolanum ad Ambrosium proficiscens in itinere diem obierit supremum, teste ipso Ambrosio in Oratione de Obitu Valentiniani.

E.

VIII.

VIII. Misso Eusebio Hieronymum etiam ad partes vocat Schelstratius: Coniecturam ex scriptis ipsius Eusebii desumptam egregie confirmat eodem seculo magnus Ecclesie Doctor Hieronymus, qui in Eusebiano Chronici supplemento scribit: Constantinus extremo vitæ suæ tempore ab Eusebio Nicomediensi Episcopo baptizatus in Arianum dogma declinat, a quo usque in præsens tempus Ecclesiarum rapinæ, & totius orbis est sequuta discordia. Silentio obuoluerat Eusebius, quinam Constantinam baptizarat, at illum in memoriam reuocat S. Hieronymus. Scripserat Eusebius Constantinum per Baptismum in fine vitæ a peccatis liberatum, & de cœlesti gratia gauisum; at Hieronymum, qui tam constanter Eusebium sequi solebat, tantum abest, hic fidem ipsius amplexum fuisse, vt potius contrarium prædicet, & hoc Baptismo Constantinum in deteriora lapsum insinuet. At enim uero verba ista ab Hieronymi manu esse profecta apud plerosque Schelstratii antecessores exploratæ veritatis non est. Præterquam enim quod Bini9 ea pro supposititiis habet, proindeque a nostro perstringitur pag. 470. certe cui malitia & fraus interpolatorum in Chronico Eusebii ac Hieronymi commissa & a Iosepho Scaligero in Animaduersionibus Eusebianis passim obseruata non prorsus ignota est, verba ista dubia saltem aut suspecta videbuntur. Vnde enim constat, illa de Constantino in Arianum dogma declinante non esse ociosorum & malefactorum hominum additamenta, sed ab ipso Hieronymo scripta? Quonam certo & infallibili criterio genuina a supposititiis discernes? Vnde docebis, non esse hoc loco & hac parte Chronici Hieronymiani factum, quod toties alibi? Causam dubitandi præbent ipsi Theologi Moguntinenses in iudicio æquitatis (vel potius iniquitatis) aduersus B. Dorscheum pag. 52. 53. quibus respondeat, velim, Schelstratius: Quod autem in Chronico Hieronymi de Constantino legitur, ab Eusebio Nicomediensi tinctum, ad Arianum perfidiam deniasse, perfidia alterius manus ex Eusebiana vel factione vel credulitate adpinxit. Quid enim? annon Hieronymus aduersus Vigilantium de summa pietate commendabat Constantinum? annon sacrilegi nomen longius ab eo repellit? Atqui si sciebat in perfidiam hæreticam lapsus, quomodo laudibus extollit? Non est is Hieronymus, vt hæreticos palpet, quo nemo acerbius in illos inuehi consuevit: quocirca alia manus sit oportet, quæ istud de Constantino Chronico inscripsit. Neque dissimulo, esse inter Pontificios nostræ sententiæ propugnatores, qui Hieronymi quidem verba esse credunt,

ea ta-

58.

ea tamen vel cum Cabassutio secundum exteriorem speciem duntaxat & apparentes effectus intelligenda esse dicunt: vel cum Alexandro alios Ecclesiae Patres maximae auctoritatis Hieronymo opponunt & praeferrunt. Quod eo facit, ut intelligatur, frustra tricari Schelstratium, ut verbis Hieronymi de dogmate Ariano figmentum de rebaptizatione Constantini stabiliat: Notanda sunt verba Hieronymi, inquit, quantum enim ex toto contextu adparet, Constantinus ab Eusebio Nicomediensi baptizatus, ad dogma Arianum declinat in extremo vitae: at quaeso quonam dogmate Ariano tunc potuit maculari Constantinus? sane damnatione Athanasii non potuit, quia nec illa dogma fuit, nec in extremo vitae Constantini contigit, sed anno integro ante obitum & morbum lethalem: errore circa Filii Diuinitatem quoque maculari non potuit, quum illi semper Constantinum restitisse certum sit, & hoc proprie voluerint Patres Ariminenses supra. Communionem etiam Arianorum tunc non potuit, quia sic non in fine vitae sed toto vitae tempore, quo cum Eusebio communicarat, redarguendus esset, cui adde hanc communionem non recte vocari Arianorum dogma, in quod circa finem vitae lapsus fuisse Constantinum scripsit Hieronymus. Aliud itaque dogma est, quod teste Hieronymo in Baptismo consistebat: Baptizatus ad dogma Arianum declinat, legit vero Marianus Scotus in Chronico, quod anno 1083. conscriptum ex Bibliotheca Gemblacensi ad se missum testatur Aubertus Mireus, rebaptizatus ad dogma Arianum declinat. Idem annotat Mireus in Chronico Eusebii & Hieronymi a se edito, & hoc sensu neque alio verificari videntur verba D. Hieronymi. Enimvero dogma Arianum fuit, si non tempore Constantini, saltem tempore Hieronymi, rebaptizare Catholicos, cumque Eusebium Arianum fuisse constat, nihil vetat, rebaptizatum ab eo Constantinum. Non opus erat tanto molimine ad verba Hieronymi explicanda: Etenim dogma Arianum illis indicatur eiusmodi, a quo usque in praesens tempus Ecclesiarum rapine, & totius orbis est sequuta discordia. Quis vero haec tribuerit dogmati de rebaptizatione, quatenus ab Arianis suscipiebatur? quis in Historia Ecclesiastica paullulum versatus ignorat, errorem circa Filii Dei Diuinitatem & proprie dictum Arianorum dogma fuisse & tot in vniuerso mundo turbas concitasse? Atvero ab isto errore immunis semper fuit Constantinus, Schelstratio diserte confitente, ab omni igitur apostasia alienus fuisse censendus est, quandoquidem aliud nullum fuit Arianorum dogma κατ' ἐξοχήν tale, quale in Chronico



nico Hieronymi indigitatur. Quamobrem Cabassutio consentiens Alexander Dissert. XXIII. pag. 396. ait, *nimiam illam Constantini facilitatem & propensionem in Arianos sub Catholici nominis larua delitescentes S. Hieronymum impulisse, ut scriberet ipsum in Arianum dogma declinasse.*

IX. Duplici tandem exceptioni satisfacere conatur vir doctus, quarum prior rebaptizationem Arianorum, posterior Constantini in fide Orthodoxa perseverantiam complectitur. Ut autem concederemus, Arianos initio statim rebaptizasse, non tamen protinus valeret collectio, Constantinum quoque esse rebaptizatum: Namque Ariani neminem rebaptizabant, nisi ad castra ipsorum transfugeret, ac horrendum in primis ipsisque proprium ac primum circa diuinitatem Christi errorem amplecteretur, quod aperte colligitur ex verbis Breuiarii fidei infra proferendis. Hoc autem de Constantino nunquam probabitur. Certe illum dogmate isto Arianorum commaculari non potuisse, sed semper tanto errori restitisse lubens concedit Schelstratius; hinc Constantinum transfugisse ex Orthodoxorum ad Arianorum castra a nullo unquam veterum ingenuinis & non interpolatis scriptis dicitur. Unde consequitur, Imperatorem non rebaptizatum esse, etiamsi Baptismus ei sit collatus ab Eusebio Nicomediensi, quod tamen apud Latinæ etiam sectæ homines dubium adhuc esse supra notauimus: addentes nunc Alexandri *Ἐπίσκοπος*: *Etsi baptizatum fuisse ab Ariano concederemus, Hieronymum & Isidorum sequuti, non sequeretur, ipsum Arianum factum fuisse: quia Eusebius Nicomediensis Catholicum sese simulabat, & Concilio Nicæno subscripserat. Unde Constantinus decipi potuit, ut ab ipso baptismum susciperet, quem existimabat orthodoxum.* Nihil certe baptismi Constantini decedit, quo minus pro legitimo rectoque habeatur, quum plurimorum veteris Ecclesiæ Doctorum consensu Arianorum Baptismus non reiterandus fuerit, si in legitima forma esset collatus, docente Schelstratio ipso Antiq. Illustrat. Dissert. I. cap. 5. art. 4. Conf. Ictus Summus, D. Casp. Zieglerus, Auis ac Hospes meus omni obseruantia colendus, Dissert. de Baptismate non iterando §. 74. 75. 76. & D. Bebelius Sæc. IV. Part. II. p. 294. 295. Proinde Alexandro non est verisimile, quod Eusebius Nicomediensis, aliique Ariani, qui ab Ecclesia, externa professione, non recesserant, eiusque fidem se sectari exterius mentiebantur, Baptisma in Ecclesia collatum iterarint.

59.

X. Sed videamus tamen argumenta, quibus inductus Schelstratus Arianos initio rebaptizasse adseruerit: Scio reponi posse ex Christiano Lupo, Arianos initio non rebaptizasse; at præterquam quod sufficiat pro testimonio Hieronymi, hoc dogma de rebaptizatione suo tempore ab Arianis fuisse propugnatum, sciendum est, non solos Donatistas olim in Africa rebaptizasse, ut exclamat Magnus Augustinus, eos arguens in Psalmo contra partem Donati, quod Donatum imitentur, qui vbique victus coepit Christianos vbique rebaptizare, sed etiam Nouatianensium Schismaticorum imitatores Arianos, ut lucide testatur D. Augustinus libro de Hæresibus cap. 48. Ab Arianis rebaptizari Catholicos, nouimus, utrum & non Catholicos, nescio. Et ignotus authentici Fidei Breuiarii auctor: Ariani, si quos de nobis subducere possunt, inconsideranter rebaptizant. Et D. Ambrosius in sermone aduersus Valentiniani secundi de tradendis Basilicis editum, ubi de Auxentio in Mediolanensium Ecclesiam intruso Arianorum Episcopo: Cur rebaptizandos Auxentius fideles populos putat, baptizatos in nomine Trinitatis? Et D. Epiphanius in Panario de Eunomio Cyziceno Episcopo Arianorum audacissimo: Eunomius, qui ad hæc tempora superest, eos, qui baptizati iam fuerunt, iterum baptizat. Et vita Liberii Papæ temporibus Iustiniani Imperatoris conscripta tractans de Constantii Ariani Imperatoris in laudatum Pontificem tentamentis circa rebaptizationem, testatur Liberium quidem subscripsisse damnationi Sancti Athanasii, non tamen rebaptizatum fuisse: Et canon 19. Nicænus solos Paullianistas baptizari concedens, quod forsitan Ariani ex tunc rebaptizationem introducere tentassent, amplexi errorem Donati, contra quem positus est canon Concilii Arelatensis primi: De Afris, qui propria lege utuntur, ut rebaptizent, quem canonem antiquiores expressum habuerunt, de Arianis, quod scilicet existimatum sit, Arianos ab initio rebaptizasse. Ex quibus omnibus verisimile sit, Eusebium Nicomediensem rebaptizasse ut Arianum, cum baptizavit Constantinum, qui seductus existimare potuit, ut insinuat ex Eusebio D. Ambrosius, peccata sua hoc modo plene fuisse remissa, quum tamen auerentur, ut indicat Hieronymus cum S. Prospero. At enim uero dogma de rebaptizatione in Chronico Hieronymi nequaquam innui paullo ante ostendimus, nec vllum vir doctus pro sua sententia protulit testimonium, quod Constantini accederet temporibus, si Canonem 19. Concilii Nicæni & Octauum Arelatensis excipias. Etenim de Arianis suorum temporum diserte loquuntur Augustinus, Ambrosius,

Epiphanius. Videntur enim Ariani iterationem Baptismi iniisse, ex quo apertius ab Orthodoxis secesserunt, quod Constantini ætate factum non est, qua insignes simulandi artifices in omnibus se Catholicis conformare conabantur. Quæ innuit anonymus Breuiarii fidei auctor, quando de Arianis suorum temporum loquitur pag. 131. *Dicere etiam solent de baptismo, quod in eo melius sit eorum baptismum, quam nostrum; quia qui de illis ad nos conuertuntur, non eos rebaptizamus, sed per manus impositionem reconciliamus. Illi vero si quos de nostris seducere possunt, inconsideranter rebaptizant.* Edidit hoc Breuiarium Iacobus Sirmondus, coniicitque in præfatione, *haud abs re breuiarium fidei credi id posse, quod a Iuliano Coënsi Episcopo missum Leo Papa nondum ad se peruenisse significat epistola LX. cum Leonis Operibus in vtroque Codice in-textum sit, æuoque non impar videatur.* Hinc in Magna Bibliotheca Patrum Editionis Lugdunensis Anissonianæ anno 1677. inter scriptores sæculi quinti Tomo VII. exhibetur. Quæ porro de Liberio refert Schelstratius, nescio an admitti queant, quum desumpta sint ex Catalogo Pontificum, quem Iustiniani temporibus non conuenire supra monuimus. Quod si vero iam tum Synodi Nicænæ tempore rebaptizationi studuerint Ariani, mirum est, Can. 19. non refelli hunc errorem, quo optima obferebatur occasio, quando præsertim constat, maxime ob Arianam hæresin Concilium fuisse coactum. Præterea non est verosimile, Athanasium, Hilarium aliosque e primis Arianorum malleis dogma de rebaptizatione in Arianis non reprehendisse, si initio statim hærescos id fouissent. Certe non potuit a Schelstratio vllus produci scriptor, qui vel Arium ipsum, vel saltem Eusebium Nicomediensem rebaptizationi operam dedisse obseruarit. Nec Concilium Arelatense pro eius opinione quidquam facit. Id enim non aduersus Arianos, sed Donatistas in causa Cæciliani coactum, & aduersus hos Canon citatus constitutus est, quidquid de antiquioribus obvertat Schelstratius, qui *de Arianis* expressum habuerint, errore ex historiarum ignorantia originem trahente. Communis enim optimorum Codicum consensus lectionem *de Afris* confirmat, obseruante Iac. Sirmondo Not. ad Tom. I. Concil. Gall. pag. 593. *Certa lectio, quam adferunt Codices antiqui & epistola Synodica. Male in Vulgatis & apud Gratianum legitur, de Arianis. Ariani siquidem exorti hoc tempore nondum erant.* Idem pluribus exponit Sirmondus in Commen-  
tario

60.

tario ad hunc Canonem ex Labbeana Conciliorum editione a Schelstratio nostro Antiq. Illust. P. II. Dissert. I. cap. 5. Art. 3. n. 69. prolato, quo in loco ipse quoque vulgarem illustrat lectionem. Ex quibus omnibus colligitur alucinari Alexandrum, quando negat, *tempore Constantii Imp. Arianos rebaptizasse, & Epiphanium hunc Arianorum errorem retulisse*, adfirmatque *tempore primum Wandalicæ persecutionis rebaptizationem huiusmodi ab Arianis Wandalis & Hunnis tentatam & vsurpatam*, quam antea in Oriente Eunomius, in Occidente Auxentius tentarant atque vsurparant. Falsum quoq; est, quod idem Natalis Synopf. Sæc. IV. c. III. Art. III. §. 2. scripsit, *Arianos Catholicos rebaptizasse* scribit S. Augustinus lib. de Hæres. sed idipsis a nemine præterea veterum exprobratum lego.

XI. Reuertimur ad Schelstratium, qui Constantini in fide perseuerantiam impugnaturus pergit: *Ne vero quisquam putet, in Constantinum cadere non potuisse tam enorme delictum: respondeo, incredibile non videri, potuisse ab Eusebio Nicomediensi ad rebaptizationem induci, quam ad subscriptionem damnationis magni Athanasii. Enimvero Athanasium toties ab Arianorum insidiis liberandum statuerat vt innocentem, vbi rebaptizatio utilis persuaderi potuit, sicut utilem existimauit Basilii erronee existimans, cuncta in contrarium decreta esse alicuius œconomie gratia, vt suo loco ostendimus. Vtcunque autem Basilii se habuerit sententia, inquam accuratius inquirere huius non est loci, certe nobis cum Alexandro non est verisimile, quod Constantinus, cuius auctoritate compressi fuerant Schismatici Donatistæ rebaptizantes, se rebaptizari passus esset. Nec est similitudo inter baptismum & damnationem Athanasii: neque Athanasium damnauit Constantinus, sed longe alia de caussa ipsum in Gallias relegauit, si audimus filium, Constantinum iuniorem, in Epistola ad Alexandrinos, quam conseruarunt Sozomenus lib. III. cap. 2. & Theodoretus lib. II. Hist. Eccles. cap. 2. Vnde constat, num vera sint, quæ de lapsu Constantini in fine vitæ subiicit Schelstratius: *Deinde magnum Constantinum non semper in Catholicæ Religionis defensione æque firmiter perseuerasse, clamat cum D. Hieronymo S. Prosper in Chronico & scriptum Elipandi Toletanæ ciuitatis in Hispania Episcopi, ad quod reponit Carolus Magnus in adducto a Concilio Francosurtensi rescripto: Exemplum mihi Constantini Imperatoris proposuistis, cuius initium Beatum Isidorum laudasse dicitis, & finem doluisse: quod ne*  
mibi*

mibi accidat, per quendam beatum, quem Antiphrasium cognominastis, benigne suadetis. Hoc etiam diuina miserante gratia præcauere satago: non ab illo tantummodo, sed etiam ab omnibus, qui rectæ fidei contrarium docere videntur, adsiduaque deuotione Dominum deosco, & quoscunque ex filius sanctæ matris Ecclesiæ valeo, mihi in hac petitione adiutores conuoco; ne me alicuius verbosa adulatio, vel fraudulenta laudatio decipiens, a via veritatis auertat. Hæc cum ad propositum sibi Imperatoris Constantini exemplum rescripsit Carolus Magnus, sufficienter indicat, Constantinum alicuius verbosa adulatione, in fine deceptum circa aliquod rectæ fidei contrarium. Et cuius quæso adulatione, quam Eusebii Nicomediensis, Imperatori familiarissimi, adeo vt ad rebaptizationem eundem induxerit, & sic tantum excusari possit verbis Theodoretii Cyrensis Episcopi libro II. historiæ cap. 33. Episcopis enim decipientibus credidit, qui malitiam quidem suam tegebant, sed alioqui clari atque illustres erant. Non opus est his prolixè refutandis immorari, quum Schelstratius inter suæ sectæ homines habeat, qui contrarium sentiunt, ostendentes, Constantinum in vera fide diem supremum obiisse. Vid. Baronius An. CCCXXIV. n. 47. 48. Alexander Sæc. IV. Dissert. XXIII. Egregium sane testimonium de Constantini perseuerantia perhibet Galla Placidia Augusta in Epistola ad Æliam Pulcheriam, quam ab interitu vindicauit Ioan. Baptista Cotelerius To. I. Monum. Eccles. Græcæ pag. 62. ubi de sermone Leonis Papæ loquuta, ἐν ᾧ λόγῳ διέγνωμεν, inquit, ἐν τοῖς ἡμετέροις καιροῖς τὴν καθολικὴν πίσιν τεταραχθῆναι, τὴν ἐκ θεοῦ πατρὸς ἡμῶν Κωνσταντίνου μέχρι τῆς σήμερον οἱ ἡμετέρες γένος ἐφύλαξαν πρῶτον. Nec desunt alii antiqui Doctores ab Alexandro laudati, qui eximiam Imperatoris pietatem ac in vera fide constantiam deprædicant. Si qui autem de ea dubitarunt, communionem Constantini cum Arianis decepti sunt, quum tamen constet, eo tempore passim Orthodoxos cum illis communicasse, quod orthodoxam fidem callide simularent, confitente & probante Schelstratio Concil. Antioch. Dissert. II. cap. I. & II. vbi de ipso Constantino lemmate 7. capituli primi scribit: Eusebii, quantumuis Arianis se fautorem præbuit, malitiam tamen suam ita tegebat, vt ipsius communionem in fine vitæ non vitarit Constantinus M. Proinde quamuis Constantinus incaute cum Arianis communicarit, non tamen fidei naufragium fecisse dicendū est, nisi plerique illi temporis Orthodoxi eiusdem apostasiæ in simulandi fuerint, quod maxima ab-

sur-

61.

surditate laborare nemo non videt. Facit eo ipsius Schelstratii confessio, quando Constantinum errore Arianorum circa Filii Dei Diuinitatem maculari non potuisse adfirmat, nec toto vitæ tempore, quocum Eusebio communicarat, redarguendum loco supra prolato iudicat.

XII. Confecto Examine coniecturæ de rebaptizatione Constantini Magni, a Schelstratio magno quidem sed vano molimine propugnata, clarissime liquet I. Baptismum Constantini Romæ a Syluestro collatum fabulosum esse commentum, & a nullo scriptorum sæculi quarti adferri: Ac certe mirum est, fabulam hanc Schelstratio placuisse, quum famosam Constantini donationem vniuersæ Antiquitati ignotam cum Baronio, Maimbourgio, Alexandro ac recentioribus Pontificiis plerisque omnibus pro supposititia habeat: ea enim tota hoc Constantini nititur Baptismo, ac Syluestro ob beneficium miraculosæ sanationis facta fingitur: cadente itaque illa, hunc quoque cadere necesse est. II. Veritas Baptismi Nicomediæ in fine vitæ a Constantino suscepti, communi antiquiorum consensu roborata intelligitur, toties quidem hætenus a Baronio ac sequacibus impugnata, sed a Schelstratio sponte agnita, vtut incertum sit, vtum ab Eusebio Nicomediensi, an ab alio Orthodoxæ fidei addicto baptizatus sit. III. Figmentum de duplici Baptismo neutiquam a Græcis, quorum nullum pro eo adducere potuit Schelstr. sed a Latinæ siue Romanæ fidei hominibus hac fini excogitatū esse videmus, vt salua persisteret fabula de Baptismo Imperatoris Romano; nullo tamen id innititur veritatis fundamento, notandumque est, argumentorum suorum infirmitatem ipsum tandem agnoscere Schelstratiū in fine capitis: *Proposui hætenus dicta ad sopiendam de Baptismo Constantini controuersiam, quam licet cum eruditissimis nostri Belgii Viris vt parui momenti omittendam quandoque censueram, hic tamen parum fusius pertractare volui, quod ea forsitan ex dictis elucidari possit ab aliis, quorum vltiori indagini hanc de rebaptizatione Constantini coniecturam relinquo, hoc addito, me nihil hac in re vt tertum posuisse, sed potius vt dubia omnia, donec re ista accuratius examinata peritorum iudicium æquam sententiam pronunciet.* Nos quoque Schelstratium sequuti eruditorum iudicio disquisitiones nostras relinquimus, nulli dubitantes, quin omnibus ad veritatis lancem trutinatis nostræ sententiæ sint accessuri.

**E**RRATA. Part. prior. §. 12. pro mente leg. monte. §. 15. pro crudelitate leg. credulitate. §. 20. pro Concili leg. Concilii. Parte poster. §. 3. pro baptizandos lege rebaptizandos.

F

QNT  
Lob

GUILIELMO ERNESTIO TENTZELIO,  
Phil. Mag. & Ordinis Philosoph. Adscripto,  
Disputationem Auspicalem ingressuro  
C. S. SCHURZFLEISCHII.

Argumentum de initiato mysteriis Constantino M. difficile impedatumq; est, & dissimilimâ ratione tractatur, in quo nemo unquâ minùs mihi satisfecit, ac Belga iste, doctrinâ ceteroquin eximius vir, ejus sententia abs te in disceptationem vocatur. Equidem te non fugit, ex ingenio magis, quàm ex annalib; esse depromptam, nec posse hujus causæ præsidium constitui in tabulis monumentisq; idoneis, quæ passim suppeditant, & fidei faciendæ causa prætermitti non debent. At enim verò ex Eusebio Cæsariensi, Ambrosio, Hieronymo, Socrate, Sozomeno, Theodoreto, Gelasio Cyzizeno, atq; imprimis ex illustri Patrû Ariminensium epistola constat exploratumq; est, Constantinum M. in extremo vitæ, & semel, nec iterùm, neq; alibi, quàm Nicomediæ, primum sanctissimumq; religionis divinæ ritum suscepisse. Nemo prudens cordatusq; suspicari aufit, Eusebium de veritate hujus rei detrudere voluisse, præsertim cum eo tempore historiam conderet, quo multi erant superstites, qui & Constantinum, & Constantini acta eventaq; omnia familiariter nôrant, reprehensuri auctorem, si tam apertè, & parû verecundè falsum commemorasset. Illis prope subira scor, qui de vita Constantini ab Eusebio tradita idem existimant, quod docti aliàs de Cyripædia Xenophontis solent, & sibi in re tam seria tantum non ad ineptias usq; indulgent. Dispar utriusque ratio est, & instituto Eusebii repugnat ista fingendi licentia, quam Grylli filius concessam sibi putabat, cum libros de Cyro majore ad boni justiq; imperii effigiem scriberet, eosq; non fide gestorum, sed vitæ morumq; doctrinis, & Atticâ suavitate metiretur. Non hæc styli cura, neq; hoc scribendi consilium Eusebio fuit, multo minùs fabulis fidem conciliare voluit, contentus veritate rerum, quas ex Constantini ore, & tabulis publicis expressit, diligenterque exprompsit. Multa in profanis scriptoribus reperias, quæ Eusebio lumen adferant, adeò quidem, ut Zosimus illud densâ invidiæ caligine, non obscure, nedum extinguere potuerit, quamvis id maximopere vellet, & summo studio niteretur. Non mihi vacat refellere contumelias, quas de noctuarum spectaculo, & Ægyptio ex Hispania profecto effutivit, quarum altera ad *labarî* in aere conspecti memoriam obliterandam, altera ad Hosii Cordubensis pietatem planè obterendam spectabat. Nolim verò inde colligas, initiandi & abluendi Constantini munus officiumq; peregrisse Hosium, quippe quod interpretandi leges, & rationes temporum prorsus vetant. Plura tibi darem, & rationes momentaq; diffidentium de *Baptismo* Constantini opinionum libenter exponerè, & quæ cuj;que occasio & causa fuerit, investigarem, maximè autem Natalis Alexandri sententiam excuterem, & quâ sæpe is in conatu probandi expectatione min; probaverit, commonerem; sed quia tibi hæc opera sumenda est, nec mihi otiû suppetit, volo id præclare conficias, & vitæ studiorumq; consuetudinis, convictusq; pariter fiduciâ credas, me tibi ad omnes res nomini & existimationi tuæ honorificas certum sincerumq; adiutorem fore. Vitembergæ Kal. Novemb. A. MD. CC. XXIII.

WAA

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8


© The Tiffen Company, 2000

# KODAK Color Control Patches

## Kodak

LICENSED PRODUCT

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



Faint, mirrored text from the reverse side of the paper is visible through the page. The text includes names like 'M. WILHELM' and 'JOHANN E. GEBEL', and titles like 'PROFESSOR' and 'DOKTOR'. The text is oriented vertically on the reverse side.

D  
E.  
CO  
HO

